



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

V. Pars Meditationum, De Festis B. Virginis, & Sanctorum per annum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)



QVINTA PARS

MEDITATIO-
N V M.

DE FESTIS B. VIRGI-
nis , & Sanctorum per
annum.



N hac s. parte pro
præcipuis festis B. Vir-
ginis , & Sanctorum
solemnius celebrari
consuetis , assignantur
Meditationes accom-
modatę , tum ad Deum

mirabilem in Sanctis suis glorifican-
dum , tum ad eximias eorum virtutes
acres præclare gestas æmulandas.
Modũ autem disponēdi puncta medi-
tationis de vitis Sanctorum penè eun-
dē in omnibus obseruare libuit , quod
& facillimus , & simul vtilissimus esse
videatur , & quidem desumptum ex s.
part. med. R. P. Lud. de Pont. med. 39.

V u in

Rom. 8.

in qua ex illo Apostoli: Quos præsciuit
 & prædestinavit conformes fieri imaginem
 filii sui: Quos autem prædestinavit, hos &
 vocavit: & quos vocavit, hos & iustificavit,
 quos autem iustificavit, illos & glorificavit.
 Docet hæc tria potissimum de
 quovis Sancto posse considerari. 1. Pe-
 culiarem liberalitatem Dei talem
 Sanctum prædestinantis, vocantis, iu-
 stificantis, à multis periculis & mis-
 erijs præservantis vel liberantis, singu-
 lari providentia protegentis, guber-
 nantis, atque ad felicem ex hac vita
 transitum deducentis. 2. Strenuam San-
 cti cum divina gratia cooperationem
 in abnegatione sui, & imitatione
 Christi. 3. Copiosam laborum & me-
 ritorum eius tam in hac, quam in al-
 tera vita remunerationem. iuxta hæc
 formulam præmitto meditationem
 generalem, quæ cuius Sancto, cuius
 vita nota sit, facillè possit aptari, eo
 consilio, ut quilibet de quovis pecu-
 liari patrono suo, aut de Sancto sui
 Ordinis, quem maximè gestiat æmu-
 lari, meditationis formandæ idæam
 (qualem in nonnullis Sanctis aut Bea-
 tis Societatis nostræ suo loco infer-
 tam videre licet) in promptu habeat.
 Porro ut hæc meditationes de Sancto-
 rum

rum festis per annum occurrentibus, cum reliquis meditationibus ab aduentu Domini in singulos anni dies vsque ad eundem aduentum digestis conueniant, placuit eas iuxta ordinem diuini officij, cum vniuersali Ecclesia à festo S. Andree auspicari.

Meditatio generalis de electione, vocatione & iustificatione; de cooperatione cum gratia propria vocationis, vita & conuersatione; de felici consummatione, & glorificatione cuiusvis Sancti.

I. **P**reludium. Constitue te in conspectu Dei & Sanctorum antethronum diuinæ Maiestatis, vel prostratorum & coronas suas demittentium, vel stantium & ingeminantium: *Benedictio, & claritas, & sapientia, & Apoc. 4. & 7.* gratiarum actio, Deo nostro in saecula saeculorum, prout eos vidit D. Ioannes in Apocalypsi; Atque inter hos, in Sanctum, cuius festum agis, aut quē imitari gestis, ineffabili gaudio pro collatis sibi beneficijs Deum collaudantem peculiariter oculos mentis conijce.

2. Efflagita gratiam clarius agnoscendi, quot quantisque Deus hunc Sanctum gratijs præuenerit, quam strenuè his ipse cooperatus fuerit, quam gloriosè idè coronari meruerit: & quot te quoque gratijs præuenerit, & copiosè, si ijs cooperari uolueris, remunerare paratus sit, ut ardeatius Deum in Sancto suo glorificare & amare, eiusque præclaras virtutes imitari, & sic te quoque gratum tantæ gratiæ & liberalitati diuinæ valeas exhibere.

I. Expende immensam, inæstimabilem, æternam & incomprehensibilem liberalitatem Dei erga talem sanctum, quam luculenter ostendit. 1. Illum ad talem gloriam ab æterno ex gratuita misericordia prædestinando, præ tam multis alijs in vas misericordiæ, in quo ostenderet diuitias gratiæ & gloriæ suæ, eligendo. 2. Tam suauiter, efficaciter, mirabiliter in Christo regeneratum ad fidem vocando. 3. A tot grauibus peccatis, periculis salutis, tentationibus, miserijsque mentis & corporis præseruando vel liberando. 4. Ad talem statum in quo non saluari tantum, sed insignem gloriæ coronam poss.

posset promereri, mirabiliter illum
 euehendo. s. Tam suauia & efficacia
 media eximiam sanctitatē consequen-
 di, plurimos alios verbo & exemplo
 Christo lucrandi, tandemque donum
 perseuerantiæ obtinendi eidem sup-
 peditando. Similem Dei in te quoque
 eligendo, vti speras, vocando, iustifi-
 cando, tot gratijs præueniendo, huc-
 usq; deducendo recale & admirare. His
 expensis excita affectus congratula-
 tionis de tot gratiæ prærogatiuis San-
 cto illi concessis: gratiarum actionis
 & laudis pro tanta Dei in illum & te
 liberalitate; Amoris, & zeli coope-
 randi diuinæ gratiæ.

II. Quam strenue contenderit talis
 Sanctus acceptis naturæ & gratiæ talē-
 tis recte vti, seque vicissim gratū pro
 tot gratiæ prærogatiuis exhibere. 1. Vel
 assiduo constantique studio proficiē-
 di indies in triplici via perfectionis,
 ad eximiam mentis puritatem, virtutū
 soliditatem, & vnionem cū Deo aspi-
 rando; aliosque verbo & exemplo ad
 similem perfectionem impellendo. 2.
 Vel eximio studio perfectæ abnega-
 tionis mundi & sui, inuictæ patientiæ
 & magnanimitatis in quibusuis arduis
 pro gloria Dei & salute animarum.

V u 3. aggre

aggrediendis & tolerandis; & eximia
imitationis heroicarum virtutū Chri-
sti. 3. Vel ardenti zelo excellendi in
assiduo exercitio certarum quarun-
dam virtutum, quibus maxime cla-
ruerunt. His ponderatis Sancto illi de
tam strenua cooperatione cum diuina
gratia congratulare, Deo gratias age,
imitari statue.

III. Quam liberaliter Deus Sancti hu-
ius sanctos conatus adhibitos, labores
exantlatos, cruciatus toleratos remu-
nerarit tam in hoc, quam in altero se-
culo: In hoc quidem tot extraordina-
rijs gratiæ præsijs, tot cœlestibus so-
latijs, tanta miraculorum gratia, tot
animarum, mira per ipsum conuersio-
ne, tam paterna protectione per totā
vitam, peculiari assistentia in morte,
vel in martyrio feliciter consumman-
do: post mortem quoque tam celebri-
tatis in Ecclesia memoria, tanta non
rarò miraculorū gloria: In altero ve-
rò seculo in die vniuersalis iudicij co-
ram toto mundo illum honorando &
laudando: in cœlo tantis essentialis &
accidentalis gloriæ præminentijs cu-
mulando: singulis eius meritorijs sus-
pirijs & operibus peculiare gloriæ
gradus retribuendo: insuper tot ex-
traord-

traordinarijs Laureolis, vel Virginū,
vel Martyrum, vel Doctorū, & pecu-
liaribus tam animæ quā corporis glo-
riofis dotibus & gaudijs eundem exor-
nando. His confideratis congratulare
Sancto de tanta gloria, excita spē desi-
deriumq; similis gloriæ similibus me-
dijs, quibus ille vſus, promerendæ.

In feſto S. Andreæ Apoſtoli.

30. Nov.

De Euangelio feſti vide 4. part. med. heb. 1. post Trinit. med. 2. & 3. & heb. 7. med. 3.

De vita S. Andreæ Apoſtoli.

CONSIDERA quā benignè Filius Dei
cum Patre & Spiritu S. vti ab æ-
terno elegit B. Andream in primum
ſuū diſcipulū, in Apoſtolū, & quidē ex
primarijs vnū, in crucis opprobrij ſo-
cium, in iudicio extremo aſſeſſorē, in
cælo regni & gloriæ conſortem: ſic in
tempore eundem tali loco & tempore
naſci voluerit, talibus naturæ & gra-
tiæ dotibus inſtruxerit, tam ſuaui-
ter primum ad Ioannem Baptiſtam per-
fectioris vitæ deſiderio inflammatum
audiendum, deinde ad ſe ſequendum
inuitarit, tam efficaciter traxerit &
pertraxerit, tam paternè erudierit, fo-

uerit, atque ad amorem crucis animar-
rit, vt sic tandem præfixum æternæ
prædestinationis suæ scopū per mortē
crucis attingeret. Quam peculiari te-
quoque fauore ab æterno respexerit,
& ad certum gloriæ gradum, vt spe-
ras, elegerit; sic in tempore dotari, at-
que ad talem statum vocari, in eodē
sic conseruet, foueat, atque ad cellio-
rem gratiæ gradum extimulare &
promouere non desinat. Quam pecu-
liarem peculiaris iste fauor exigit gra-
titudinis, amoris, & feruoris coope-
randi excessum!

II. Quomodo ille huic peculiari dile-
ctioni Domini erga se de qua merito
canit Ecclesiā: *Dilexit Andream Domi-
nus in odorem suauitatis*) & tā rare gra-
tiæ gratum se exhibuerit, eximio qua-
druplici zelo Magistro suo acceptissi-
mo, 1. Zelo propriæ perfectionis, quæ
ostēdit tam auide se in Ioannis primū
mox in Christi ipsius disciplinā dan-
do, semperq; ad perfectiora anhelan-
do. 2. Zelo intimæ cum Deo coniun-
ctionis augendæ per assiduū deuorio-
nis exercitium, & quotidianum agni
immaculati sacrificium, de quo ipse
ad Tyrannum idolis immolare im-
perantem aiebat: *Ego omnipotenti*
Deo

Deo immolo quotidie non taurorum carnes
 nec hircorum sanguinem, sed immacula-
 tum Agnum in altari: cuius carnem post-
 quam omnis populus credentium mandu-
 carit. Agnus qui sacrificatus est, integer
 perseverat & vivus. 3. Zelo animarum
 Christo lucrandarum, quem exercuit
 post ascensionem Domini per Scy-
 thiam, Epirum, Thraciam, Achaiamq;
 Christi gloriam prædicando, & tot
 barbaras cæcasque gentes Evangelicæ
 veritatis lumine collustrando. 4. Ze-
 lo infatiabili Magistro suo Christo
 crucifixo se penitus non solum in vi-
 ta, sed etiam in morte conformandi,
 eiusque gloriam amoremque propa-
 gandi, quem ardentissimum demon-
 stravit tanta libertate spiritus coram
 Ægea Præconsule supplicium crucis
 minitante, crucifixi Domini infinitam
 charitatem & crucis mysteria extol-
 lendo; ad crucem, cui ab eodem adiu-
 dicatus erat, tanquam ad optatissimam
 vitæ suæ metam, quantumvis virgis
 dilaniatus, tam hilariter properando;
 à longè conspectam tam amicè salu-
 tando; tam cupidè eandem tanquam
 suggestum conscendendo; ex eaque
 biduum viginti millia hominum cir-
 cumstantium tam ardentè ad cōstan-

tem amorem Domini ex amore pro nobis crucifixi exhortando; & ne ab ijs de cruce, quod facere attentabant, deponeretur, instantissimis precibus extorquendo. Hunc quadruplicem Apostoli imitare zelum, & quadruplex gratissimum Deo obtuleris sacrificium.

III. Quomodo Christus hunc eundem quadruplicem illius zelum remuneraris, in hac quidem vita ad præcedendum gratiæ gradum cum promovendo: cœlestium consolationum dulcedine eum toties inebriando; & sua præsentia pendentem in cruce recreando; tot millium animarum miraculosa conversione labores eius blandè solvendo; ac demum ex crucis patibulo inter eximium, qui crucem cinxerat, splendorem, animam eius ad sublime cœlorum solium magno cū triumpho deducendo: In altera verò eximiam eximijs eius meritis debitam iustitiæ coronam liberalissimè offerendo. Spes similis gloriæ & remunerationis, & desiderium eam promerendi feruenti emulatione quadruplicis eius zeli.

Possent de hoc quadruplici eius zelo alid quatuor meditationes formari hoc modo: Ut I. Expendatur quam perfectus in eo fuerit

vis talis zelus, quam purus, intensus, fortis.

2. *Quomodo illum quo ad internos actus.*

3. *Quomodo quo ad externos. Et quo fructu, vel ob qua motiva, exercuerit. De hoc consulenda Meditationes sexta partis, de virtutibus hic insinuata.*

De vita S. Francisci Xaverij. 2. Decemb.

I. **E**Xpende quomodo Deus B. Franciscum Xaverium, quem vti ab æternitate in Apostolū Indorum elegerat, atque ad tam sublimem gloriam prædestinarat, tam suaviter in tempore paterna sua providentia ad hunc finem per tam suavia media direxerit, tantis naturæ & gratiæ præsidij eum muniendo; tam mirabiliter per servū suum Ignarium in eodem contubernio Parisijs cum illo literis operantem ad contemptum mundanæ vanitatis, & amorem Christianæ perfectionis pertrahendo; ad religiosum institutum amplectendum permouendo; spiritu Apostolico replendo; ad Indicam expeditionem tum interno impulsu, tum obiecta illi sapius in somno visione Æthiopis, quem hume-

ris gestaret, auidè desiderandam, inflammando; tandemque ad eandem, in locum alterius prius designati R. P. Nicolai Bobadillæ ægrotantis, gaudio tripudiantē destinari per B. Ignarium curando. Quàm mira Dei in his omnibus elucet providentia; quam suspi- ce & venerare, & similem tibi à puero exhibitam grato animo recole. Grati- tudo, amor Dei & vocationis.

II. Quomodo se pro tot gratijs gratū exhibere, atque ad vberiores prome- rendas indies magis disponere cona- tus fuerit, assiduo Deo perfectius om- ni possibili modo placendi studio, maximè tamen in his virtutibus excel- lere satagendo. 1. In virginea mentis & corporis munditia, quam inuiolatā tota vita conseruauit; & eximia con- scientiæ puritate & innocentia, quam sibi semper commendatissimā habuit, leuissimas etiam maculas sollicitè ca- uendo, quotidiana confessione, quan- do id licebat, eas expiando, omnes la- bendi occasiones euitando. 2. In he- roica patientia & sui victoria, leprosis, foedisq; alijs morbis laborantibus im- pigrè ministrando, non semel è mor- bidi vlcere pus sugendo, omnes inor- dinatos animi motus rationis imperio
statim

statim compescendo. 3. In profunda
humilitate, submississimè de se sentiē-
do; summum honorem quibusuis sa-
cerdotibus & religiosis, deferendo,
contempto Academicorum honorum
plausu, ad rudes, pueros & mendicos
erudiendos se promptissimè demit-
tendo. 4. In absolutissima obedien-
tia, ad omne non imperium solum, sed
nutum Superiorum, se quoad intelle-
ctum, affectum & executionem cœcè,
velociter, hilariterque accommodan-
do. 5. In vera deuotione & arctissima
cum Deo coniunctione per assiduum
exercitium meditationis, orationis
vocalis, crebræque mentis in Deum,
inter alia etiam negotia, eleuationis.
6. In gratitudine & agnitione benefi-
cij vocationis ad Societatem, maximi-
eam semper æstimando, eius viuendi
institutum, quod apud S. P. Ignatium
altè imbiberat, accuratissimè obser-
uando, omnibus suis amorem voca-
tionis inculcando. 7. In ardenti zelo
gloriæ Dei & salutis animarum, cui
alter etiam orbis nimis angustus vide-
batur: quem testantur tot ab eo terra-
marique suscepti in hunc vnicum finē
labores, tot insularum, marium, pro-
uinciarum peregrinationes, & decies

Centena millia hominum eius opera in
Gremium Ecclesie perductorum. 8 In
Inuicta animi fortitudine, & ardenti
desiderio plura magisque ardua pro
amore Christi crucifixi faciendi & pa-
tiendi; ; plura & presentiora vite pe-
ricula adeundi; sanguine demum fuso
hunc amorem testandi, Congratula-
tio & gratiarum actio pro tot illi a
Deo collatis charismatis, & zelus eum
in his octo virtutibus imitandi.

III. Quam abunde Deus hos eius
pios conatus compensarit, In hac qui-
dem vita, tam miram gratiam tot cen-
tena millia animarum conuertendi il-
li largiendo; tanta diuinarum conso-
lationum affluentia cor eius inundan-
do, vt exclamare cogeretur: *Satis est
Domine, satis est*; tam extraordinariam
gratiam miraculorum impertiendo,
ita vt futura predicere absentia quasi
coram videret, idem eodem tempore
geminis in locis valde disitis pericli-
tantibus opem ferret, viginti quinque
de mortuos ad vitam reuocaret; ad
Angelicam denique eius integritatem
toti mundo propalandam, corpus eius-
dem exanime in viua calce tot annis
incorruptum conseruando: In altera
vero vita coronam glorie tot eius il-
lustre.

Iustis meritis, heroicis desiderijs & laboribus plurimis debitam ei reddendo, cum eximijs Virginitatis, Doctoratus iustitiæ, & Martyrij in voto aureolis, & ineffabili, de tot opera sua saluatis, gaudio. Congratulatio de tanta eius gloria, spes similis retributionis cum ardore eam promerendi.

Si cui libnerit, poterit singulas de singulis illis octo virtutibus puncto 2. contentis instituere meditationes, in singulis expendendo.

1. *In quam perfecto gradu eas habuerit.*
2. *Quomodo earundem actus internos externosque, & quam perfecte frequentarit.*
3. *Quomodo diuina liberalitas conatus eius in singulis exercendis adhibitum remunerarit. De his latius videri poterunt meditationes de ysdem virtutibus, qua sexta parte habentur.*

In festo S. Nicolai.

6. Decemb.

De Euangelio. Luc. 12.

Sint lumbi vestri præcincti.

I. **E**Xpende quàm seridò Christus inculcet assiduum studium eximie castitatis, & exemplaris cõuersationis, dum iubet lumbos præcingi, & lucer-

nas ardentibus in manibus teneri. Quam præclare vtrumque D. Nicolaus præstitit, perpetuam virginitatem illibatam conseruando, & eximio omnigenæ sanctitatis fulgore totam Ecclesiam irradiando. Feruor mortificationis, & conuersationis exemplaris.

II. Quam assidue vigilare nos velit Dominus tota vita in studio tum propriæ perfectionis, tum proximorum promouendæ; & quam constanter B. Nicolaus id fecerit, usque ad aduentum cœlestis Sponsi, ad æternas illuminationis euocantis: Zelus æmulandi.

III. Quam efficax nobis æterna Veritas proponat medium & motuum in prædicta sacra vigilantia semper persistendi, videlicet memoriam incertitudinis horæ mortis, quæ si semper præ oculis haberetur, facile subrepens tepiditatis sopor excuteretur. Quam sedulo D. Nicolaus se hoc eodem stimulo ad indefessum in via perfectionis progressum vehementius incitavit, tandemque accenseri meruerit beatis illis seruis, quos cum venit Dominus, inuenit vigilantes. Memoria mortis, & zelus proficiendi.

De

De vita S. Nicolai Episcopi.

I. **E**Xpende quàm paternè Deus, sanctum Nicolaum ad tantam gloriam, ad quam eum prædestinarat, à pueritia quasi manu ducere sit dignatus, lactentem ad ieiunium feria quarta & sexta vsque ad vesperam seruandum, toraque deinceps vita continuandum instigando; Adolescenti misericordiæ & liberalitatis spiritum inspirando, vt omnes opes suas in pauperes erogaret; spiritum insuper deuotionis largiendo, vt loca sancta inuisere, in oratione pernoctare, neglecto mundo soli Deo vacare vnice ipsi in votis esset; tandemque ipsum è latibris extractum, ad Myrensem Pontificatum euehendo, amplissimumque illi sanctorum laborum subeundorū, & persecutionum tolerandarum campum assignando. Quàm alacriter & securè ad prædestinatum sibi brauium currit, quem benignè & suauiter diuinæ prouidentiae manus ducit! Quàm & tu alacriter ad simile brauium apprehendendum properares, si diuinæ prouidentiae te trahentis & regentis manum promptius sequi contenderes!

res!

res! Gracitudo, Amor Dei vocantis
& feruor cooperandi gratiz vocatio-
nis.

II. Quam promptè D. Nicolaus ma-
num diuinæ prouidentiz vocantis,
trahentis, impellentis sequi studueris,
1. In conseruanda & augenda eximia
puritate mentis & corporis per assidu-
um exercitium ieiunij & mortifica-
tionis. 2. In profusa liberalitate erga
egenos, intimaque compafsione erga
omnes affictos, quauis oblata oportu-
nitate tota vita exercenda. 3. In as-
siduo studio orationis, intimaque cum
Deo coniunctionis. 4. In indefeflo
conatu diuinæ gloriæ, & salutis ani-
marum promouendæ. 5. In propu-
gnanda fortiter Catholica veritate,
quam cum præfenti capitis periculo
contra edictum Diocleriani & Maxi-
miani Myræ conftanter prædicauit
propter hanc exilium & diuurni cati-
ceris moleftias patienter vsq; ad Con-
ftantinum Magnū fufstinuit, pro eiu-
dem defenfione in Concilio Nicæno
Arianam hèresin cum trecentis decem
& octo Patribus condemnando acri-
ter dimicauit. Zelus in his ipfum æ-
mulandi.

III. Quo-

III. Quomodo illum Deus glorificavit: In hac quidem vita miraculorum claritate eius sanctitatem manifestando, cum illi inter cœtera penè innumera concessum fuerit iratum mare precibus suis exarmare, mortuum nautam vitæ restituere, tribunos tres per calumniam oppressos se viventem adhuc inuocantes longè distitos, apparendo Constantino, cumque sententiam mutare iubendo, liberare: Mortem ei optatissimam concedendo, ut videlicet Angelos sibi occurrentes cernens, recitansque Psalmum, *In te Domine speravi*, in hisce verbis: *In manus tuas commendo spiritum meum*, animam efflaret. Post mortem per oleum ex tumulo eius scaturiens, insignem eius misericordiam & sanctitatem mundo propalando: In altera porro vita illustribus eius meritis proportionatum gloriæ brauium liberalissimè impertiendo. Congratulatio, spes gloriæ, & feruor eam similibus meritis promerendi.

3. Decēb. In festo immaculatæ Conceptionis B. Virg. MARIE.

De immaculata Conceptione eiusdem B. Virginis.

I. **E**Xpende quam eximijis Sanctissimi Trinitas B. Virginem ab æterno, ex æterna gratuitaque dilectione decreuerit ornare naturæ, gratiæ & gloriæ prærogatiuis, quibus postmodum in tempore ornata fuit, talibus nimirum, quæ deberentur primogenitæ filia inter omnes puras creaturas eminentissimæ, futuræ Matri Verbi incarnandi sublimissimæ, Sponsæ Spiritus sancti electissimæ, Dominæ mundi, Reginae cœli augustissimæ. Equidem tanto eminentiore modo & ampliore mensura, quo magis & perfectius infinitæ suæ potentia, sapientia, bonitatis thesauros in illam vnam supra omnes puras creaturas ditandam sublimandamque coaceruare statuerat, & quo maior eiusdem Virginis dignitas, puritas, sanctitas, ob officia illi subeunda, meritò esse debebat. Quam in-

æstimabilis proinde fuerit prærogati-
uarum illi prædestinatarum præemi-
nentia! Quàm incomparabilis diuinæ
liberalitatis erga eandem superefflu-
entia! Congratulatio & gratiarum ac-
tio pro tam sublimes, tam extraordi-
nariæ prædestinationis B.V. beneficio.

II. Quàm liberaliter illâ primo con-
ceptionis instanti cœperit eadẽ san-
ctissima Trinitas eminẽtissimis, prout
ab æterno decreuerat, nobilitare præ-
rogatiuis. Quarum 1. fuit, præseruatio
ab omni generalis culpæ macula, vt ne
vnico quidẽ momento peccati & dia-
boli iugo subiactis, aut vlla labecula
infecta fuisse dici posset illa, cui pec-
uliarissime cõuenit illud cœlestis Sponsi
elogium: *Tota pulchra es, amica mea, &
macula nõ est in te.* Et quæ paritura erat
Fontem omnis munditię, Solem iusti-
tię, Speculum sine macula, Iesum Fi-
lium Dei. 2. Immunitas a fomite pec-
cati, cum quo vti & originali labe re-
liqui nascimur damnati antequã nati.

3. Superabundantissima gratiæ sancti-
ficantis, fidei, spei, caritatis, aliarumq;
virtutum supernaturalium ac donorũ
Spiritus sancti infusio. 4. Confirmatio
in gratia excellentissima, vt ne leuissi-
ma quidem venialis culpæ labecula si-

neret vnquã mentis nitorem obfufe-
 ri. 5. Peculiariffima diuinę prouiden-
 tię eam in omnibus dirigentis & qua
 manucentis affiftentia. Quã hæ fin-
 gulæ prærogatiuæ sublimes fuerint,
 quanto interuallo omnes omnibus Ec-
 lectis vnquam collatas & conferendas
 excefferint? Affectus ijdem congratu-
 lationis, gratiarũ actionis, admiratio-
 nis & laudationis diuinę liberalitatis
 III. Quãm feruenter B Virgo vfu ra-
 tionis ex speciali priuilegio dotata u-
 tum cœperit elicere affectus intima
 humilitatis, gratitudinis, amoris, ob-
 lationis fui & zeli glorię Dei, ac dein-
 cept reliqua vita frequentarit; & qui-
 dem tantò feruentius, quò illuminata
 diuinitus charismatum fibi communi-
 catorum sublimitatem, diuinę libera-
 litatis erga fe inæftimabilitẽ, & gra-
 tuitę dilectionis incomprehenfibilita-
 tatem, præ omnibus puris creaturis
 clarius agnoscebat, firmiufq; viuã fide
 apprehendebat: quò intensiores eor-
 undem virtutum habitus initio infu-
 fos acceperat; quò eisdem fingulis
 penè momentis ftudiofius nouis infu-
 per præuenta gratiæ præfidijs augebat.
 Obftupefce horum affectuum præe-
 minentiam, & imitare.

In Festo S. Thomæ Apostoli. 21. Decēb.

De Euangelio Festi Ioan. 20. vide 3. part.
medit. hebd. 1. post Pascha medit. 3.

De vita eiusdem S. Thomæ.

I. **E**Xpende miram diuinæ bonitatis abyssum in Thoma ad Apostolici muneris sublimitatem ab æterno prædestinando, & in tempore vocando, quantumuis graui illius præuiso incredulitatis lapsu: in eodē tam paternè cum reliquis Apostolis ad prædestinatum brauium deducendo; in incredulitatis baratrum lapsum, & quidem pertinaciter obduratum, tam misericorditer erigendo, tam potenter emolliendo, & tam vehementer inflammando, vt illius postmodum zelo gloriæ Christi propagandæ orbis nimis angustus videretur. Suspice & extolle tantam Dei erga illum bonitatem, & similem tibi præstitam humiligratoque animo recale. Gratitude, amor, zelus compensandi infinitam Dei sic eligentis, vocantis, deducen-
tis quemuis electum, & te præsertim, benignitatem.

Xr 2

M. Quana

II. Quam feruenter ille diuinam erga se liberalitatem, gratuitamque misericordiam pro virili compensare sit conatus. 1. Insigni feruore pœnitentiæ, errorem suum tanto affectu retractando, tantis lacrymis eluendo, tot pijs obsequijs resarciendo. 2. Ardentissimo zelo gloriam Christi propagandi, omnesque à via veritatis aberrantes, si posset, ad Saluatorem suum agnoscendum, adorandum, amandumque pertrahendi; in hunc finem tot vasta maria, remotasque terras peragrando, indefesso spiritu Euangelium Parthis, Medis, Persis, Hircanis, Bactrisque prædicando, tandemque ad ipsos Indos penetrando. 3. Simili ardentissimo zelo pro amore & gloria dilecti Magistri sui sanguinem fundendi, quem prodidit ante eius passionem, adhortando condiscipulos formidolosiores: *Eamus & moriamur cum illo.* Et multo magis post eiusdem ascensionem, toties apud tot efferas gentes presenti caput suum periculo exponendo, tandemque apud Indos Calaminæ, dum ante sacra crucem precaretur, furori Barbarorum irruentium sagittis se primum transfundendum, tum hasta traijciendum generosè offerendo. Quas non eluant

Ioan. II.

criminum maculas lacrymæ triplices :
 compunctionis, compassionis, amo-
 ris, quales vbertim speculum verè pœ-
 nitentis Thomas toties fudit? quas
 non expient pœnas ijsdē debitas opera
 pœnitentiæ, zeli animarum, amoris
 Christi crucifixi? si cum eodem Diuo
 Thoma sincerè, feruenter & constan-
 ter vsurpentur? Zelus in his feruorem
 Thomæ æmulandi.

III. Quàm largiter feruorem eius
 Christus remunerarit; In hac quidem
 vita tot nouis gratiæ auxilijs eum præ-
 ueniendo, lassum confortando, cur-
 rentem promouendo, pios conatus
 eius in conuersione tot millium ani-
 marum peculiari fauore secundando,
 tandemque gloriosi martyrij gratiam
 eidem offerendo; In altera repositam
 iustitiæ coronam, tantis eius labori-
 bus meritisque debitam retribuendo,
 cum ineffabili gaudio de tanto nume-
 ro tot animarum à se conuersarum.
 Spes similis retributionis, & feruor
 eam promerendi.

*In festis Natiuitatis Domini, S. Stepha- 25. 26.
 ni, S. Ioannis Euangelist. SS. Innocentium, 27. 28.
 Circumcisionis & Epiphania, vide medi- Decemb-
 tationes ordine assignatas 1. part. meditat. 1. & 6.
 suis locis.*

Januar

X x 3

12

2. Febr.

In festo Purificationis, vide *ibid.* heb. 4.
post Epiphaniam medit. 2. & 3.

24. Febr.

In Festo S. Matthiæ Apostoli.

De Evangelio festi: *Matt. 11.* vide 1. part.
medit. heb. 20. post Trinit. med. 5.

De vita S. Matthiæ Apostoli.

I. **E**Xpende admirandam divinæ electionis abyssum in Matthiæ in locum Iudæ proditoris subrogando, quem uti ab æterno ad duodecimum Apostolici culminis thronum olim in cælo possidendum elegitis; de quo *Prou. 16.* scriptum: *Sortes mittuntur in sinum, & à Domino temperantur*, ita in tempore eidem, cum inter ipsum & Barfabam per sortem missam divinæ suæ voluntatis indicium exquireretur, è cælo suffragium tulit: *Nam cecidit fors super*

Act. 1. *Matthiam, & annumeratus est cum duodecim Apostolis.* O quanta gratia sic gratis ab æterno eligi, sic gratis in tempore vocari, gratis tantis gratiæ Apostolicæ prærogatiuis sublimari, ut mereretur accenseri secundarijs fundamentis &c.

Ecclesiæ militantis, assessoribus futuris Christi Iudicis, Principibus curiæ triumphantis! Similem gratiam diuinæ prouidentia & bonitatis te ad statum Apostolicæ perfectionis ab æterno eligentis, & in tempore vocantis, tibi gratis collatam grato humilique animo agnosce, reuerere, gratias age, & cooperari statue. Admiratio, gratitudo, amor, zelus cooperandi gratiæ vocationis.

II. Quomodo tam gratuita gratiæ gratum se exhibere B. Matthias studuerit, 1. Cum intimo humilitatis sensu eam sibi immerenti, præ tot alijs ex gratuita misericordia exhibitam agnoscendo, & cum casto & filiali timore, ne eadem gratia, qua Iudas culpa sua exciderat, se redderet indignū, pauendo & cauendo. 2. Intimo gratitudinis affectu hoc tam singulare beneficium maximi æstimando, liberalitatem largitoris medullitus magnificando; & eximio perfectissime illi gratificandi studio compensare desiderando. 3. Ardenti zelo propriæ perfectionis & salutis proximorum cum summa omnium virium mentis & corporis cōtentione promouendæ. 4. Infatigabili zelo diuinæ gloriæ propagan-

dæ, & Euangelicæ veritatis longè lateque per Iudæam Æthiopiãq; predicandæ s. Simili zelo martyrii consequendi, contra pertinaces & perfidos Iudæos Christi crucifixi gloriam constanter propugnando, fortiterque pro amore eiusdem non solum conuitia, falsasque accusationes perferendo, sed corpus lapidibus imperendum, caputque securi ferendum generose offerendo. Congratulatio de tam heroicis eius virtutibus, & zelus eas æmulandi.

III. Quomodo eundem Deus glorificarit; in hac quidem vita tot miraculis eius sanctos conatus comprobando, tot gratijs & consolationibus cumulando, tam gloriosam martyrii palmam illi offerendo; In altera vero repositam iustitiæ coronam, & quidem tanto Apostolo & Martyre dignam, cum insigni de tot à se conuersis gaudio retribuendo. Congratulatio, spes gloriæ, & feruor eam promerendi.

29. Mart. In festo Annunciat. B. V. vide 1. part. med. hebdom. 1. Aduentus. Medit. de Decret. Incarnationis 2. Et hebdom. 3. Aduentus mediet. 3. 4. 5. Et 6.

In festo SS. Apostolorum Philip-
pi & Iacobi minoris. 1. Maij.

De vita SS. Philippi & Iacobi.

I. **E**Xpende quam suaviter vterque
& efficaciter à Christo ad mune-
ris Apostolici sublimitatem, vti ab æ-
terno prædestinatus erat, in tempore
sit vocatus, ijsque dotibus, quæ ad
respondendum tantæ gratiæ requi-
rebantur, ornatus: quam benignè
triennio à cœlesti illo Magistro ad
omnem perfectionem formatus, my-
steria fidei edoctus, atque ad amorem
crucis & tribulationis animatus. O
quam suaviter, efficaciter, mirabili-
ter ad se agnoscendum, amandum, &
sequendum omnes trahit is, qui est
via, veritas, & vita, quotquot ad in-
signem gratiæ & gloriæ gradum præ-
destinavit, idque ex quam gratuita
misericordia & dignatione! Annon &
te simili ratione ad se traxit, & nunc
trahit! Gratitude, amor, zelus gratiæ
oblatae cooperandi.

II. Quam præclare vterque acceptis
X x 5 Apo-

Apostolicæ gratiæ talentis cooperari contenderit: Philippus quidē 1. Eximium animi candorem in omnibus præ se ferendo, absque fūco & dolo eum Christo & hominibus agendo, sincereque diuinum obsequium intendendo. 2. Magno zelo gloriæ Deique quam plurimos e Scythis, Phrygiisque, ad quos destinatus erat, ad lumen veritatis secum agnoscendum perducere conando. 3. Inuictō animi robore pro Magistri sui crucifixi honore defendendo, Hierapoli Phrygiæ se crucifigendum, lapidibusque occidendum Barbaris offerendo. Iacobus verò 1. Eximiam vitæ innocentiam cum stricta à carne & vino abstinentia, à puero vsque nonagesimum sextum ætatis annum coniungendo. 2. Ardua longaque precandi consuetudine genibus callum instar camelæ obducendo. 3. Primitiuam Hierosolymis Ecclesiam triginta annis sanctissimè ad omnem pietatem informando & administrando, tandemque pro defensione gloriæ Christi, & prædicata à se fidei sanguinem fundere gestiendo. 4. Dum e templi fastigio deiectus cruribus fractis seminibus iaceret, manibus ad cœlam leuatis pro-

mi-

inimicis orando: *Ignosce eis Domine, quia nesciunt quid faciunt, usque dum fullonis fuste grauiter percussio capite, animam Deo reddidit. Congratulatio, gratiarum actio pro collata illis: hæc faciendi & patiendi gratia, & zelus æmulandi.*

III. Quam peculiaribus Deus, sanctos vtriusque labores, molestias, cruciatusque amore sui toleratos remunerarit: In hac quidem vita tantis fauoribus, solatijs, miraculis; In altera tantis gloriæ essentialis & accidentalis prærogatiuis. Congratulatio, spes gloriæ, feruor eandem sanctè viuendo acquirendi.

In Festo Inventionis S. Crucis.

3. Maij.

De Euangelio Festi Ioan. 3. vide 4 part. med. post Trinit. hebd. 5. medit. 5. de Nicodem.

In Festo B. Aloysij Gonzagæ Societatis I E S V. *21. Ianij.*

De vita eiusdem B. Aloysij.

I. **E**Xpende admirandam Dei bonitatem in B. Aloysio in tam peculiariter

X x 6

rena

rem gratiæ filium ab æterno eligendo: extraordinariam liberalitatem in eotalibus naturæ & gratiæ præsidjs in tempore cumulando: plusquam paternam providentiam in eodem à teneris annis ad se trahendo, ab amore mundi auellendo, in mundo tam immundo mundum conseruando, ad Societatē Iesu tam suauiter & efficaciter voce de cælo demissa ipso die D. Virginis assumptæ Sacro: *Ingrederetatem Iesu*: ineffabili post cœleste epulum gaudio delibutum vocando: tandem tot difficultatibus remorisq; sublati voti compotem factum, tam miris vijs ad sublime extraordinariæ perfectionis fastigium tam breui tempore deducendo. Congratulatio, gratiarum actio, Dei glorificatio.

II. Quàm sedulò tam profusam diuinæ erga se benignitatis largitatem pro modulo suo. rependere sit conatus,
I. Eximium conscientiæ nitorem, candidamq; Angelicæ innocentie in baptismo acceptam stolam ab omni non solum grauioris, sed etiam leuissimæ noxæ labecula immunem seruire satagendo, accurata occasionum fuga, iugi ad se, ad cogitationes & actiones suas omnes vigilãtia, viua Dei
præ-

præsentis memoria. 2. Virginitatis
 florem, quem puer Florentiæ ante effi-
 giem B. Virginis Deo, Virgineæque
 Matri consecrarat, illibatum tota vita
 conseruando, stricta sensuum custo-
 dia, crebra inedia, assidua corporis af-
 flictatione, humili assiduaque diuinæ
 protectionis imploratione 3. Humil-
 limè de se semper sentiendo, eoque
 magis, quo genere, indole, gratia, fan-
 ctitate maior erat, se infra omnes de-
 primendo. 4. Gratiam vocationis suæ
 maximi faciendo, eamque omnibus
 diuitijs, delicijs, & titulis mundi lon-
 gissimè præferendo. 5. Obedientiæ
 absolutissimæ, & exactissimæ omnium
 regularum obseruationis exemplo
 omnibus prælucendo. 6. Peculiarem
 planeque filialem erga B. Virginem
 Matrem suam, cuius ope gratiam vo-
 cationis se impetrasse recolebat, de-
 notationis affectum tota vita continu-
 ando. 7. Erga SS. Eucharistiam, vtpotè
 fontem omnium gratiarum similem,
 inò longè maiorem peculiarissimæ
 deuotionis ardorem demonstrando,
 in eadem crebrius interdum interui-
 senda, piè adoranda, deuoteque ma-
 nantibus præ gaudio lacrymis statutis
 diebus sumenda. 8. Ardentissimè reda-
 Xx 7 mando

mando Deum sic se amantem, ita ut
vel reficata solum diuinæ bonitatis,
aliorumque attributorum, & benefi-
ciorum diuinorum memoria, ipsi la-
crymas amoris excuteret, & nihil ipsi
optatius foret; quam de dilecto suo
audire & loqui, eiusque in deuotio-
nis exercitijs suauissimo alloquio
frui.

9. Ardentissimè animarum salutem
sitiendo, atque ad Indicæ expeditio-
nis labores in barbaris ad Christum
adducendis vehementer anhelando.
Congratulatio, zelus emulandi.

III. Quam copiosè Deus Sanctose-
ius paucorum annorum labores re-
munerari: In vita quidem tam pecu-
liari in omnibus assistentia, tam rara
diuinarum visitationum affluentia,
tam optata in morte securitate, & fi-
hiali confidentia; Post mortem verò
in signi essentialis & accidentalis bea-
titudinis palma, & virginitatis Lau-
reola, & tam celebri eius in superin-
terris apud mortales memoria. Con-
gratulatio, spes & zelus similem coro-
nam promerendi.

In Festo Natiuitatis S. Ioannis 24. Iun.
Baptistæ.

De vita S. Ioannis Baptiste.

I. **C**ONsidera profusissimam Dei erga B. Ioannem liberalitatem, quem vti ab æterno ad gloriam antesignano Prophetarum, principi Martyrum, primicerio Virginum, Prodromo venturi Saluatoris hominum debitam prædestinavit: sic in tempore omnibus naturæ & gratiæ præsidijs necessarijs abundè instruxit, & paternæ suæ prouidentia suauiter & efficaciter ad eandem consequendam deduxit, eum in vtero matris sanctificando, ab amore mundi puerulum abstrahendo, è sinu parentum in solitudine abducendo, ad Angelicam istic vitam agendam instigando, tandemque inde ad officium præcursoris complendum euocando. Admiratio, congratulatio, gratiarum actio.

II. Eximium B. Ioannis in cooperando tot communicatis sibi peculiaris gratiæ

gratiæ

gratiæ prærogatiuis conatum tota vita continuatum, qui elucet ex quadruplici eius ardentissimo zelo propria perfectionis, salutis proximorum, gloriæ Christi, & martyrij: Nam non solum obnixè studuit angelicam puritatem mentis & corporis ab omni labe becula immunem, illibatamque à primo vitæ exordio vsque ad extremum halitum conseruare, ab omni hominum consortio se ad trigefimum ætatis annum segregando, asperrimam vitam agendo, locustis & melle siluestri vitando; sed inluper in solidis virtutibus, & in deuotionis, arctiorisque cum diuina voluntate coniunctionis exercitijs, instructore Spiritu sancto, indies proficere contendit, intimæ humilitatis, gratitudinis, amoris, resignationis, aliarumque virtutum affectus frequentando, & dies noctesque diuinæ contemplationi vacando.

2. Omnes non solum verbo, sed etiam vitæ exemplo ad seriam pœnitentiam agendam, atque ad Christum verum Messiam agnoscendum permouere, vsque dum vita deficeret, non desijt.

3. Ut Christi gloriam promoueret, omnesque quos posset ad ipsum audien-

diendum sequendumque pertraheret, se deserere, suamque existimationem diminui æquo lætoque animo sustinuit.

4. Pro veritatis prædicatione & iustitiæ propugnatione, ut cœlesti Sponso candido & rubicundo euaderet similior, carceris squalorem, & Herodiani mucronis aciem non exhorruit. Admiratio, & imitatio huius quadruplicis zeli.

III. Liberalissimam Dei in eodem remunerando, glorificandoque munificentiam: In hac quidem vita tanta omnium gratiarum prærogatiua, tam peculiari protectione & assistentia, tanta cœlestium illustrationum & consolationum affluentia: In altera tanta gloriæ essentialis sublimitate, tanta triplicis aureolæ Virginum,

Martyrum, Doctorum præemi-

nentia. Congratulatio,

spes, desideriumque

similis gloriæ

promerenda,

da.

In

29. Iun. In festo SS. Petri & Pauli Apo-
stolorum.

*De Euangelio festi Matth. 16. vide 4^a
part. med. hebdom. 18. post Trinitatem, medita-
4. De Confessione Petri.*

*De vita S. Petri Principis Apo-
stolorum.*

I. **E**Xpende miram Filij Dei prou-
dentiam & bonitatem in B. Pe-
tro ad tantam sublimitatem in terris,
& tantam gloriam in cœlis euehendo:
quem sicut ab æterno in Ecclesiæ ca-
put & præcipuum post se fundamen-
tum, suumque in terris vicarium, &
in morte crucis locium elegit; ita in
tempore necessarijs charismatis ad
tam sublime munus rectè admini-
strandum, brauiumque tali capite di-
gnum promerendum ditauit, tam
suauiter vocauit, tam paternè instru-
xit, exercuit, probauit, lapsum respec-
xit, crexit, confirmauit, in omnibus
dire-

direxit, è tot periculis eruit, ad crucis
confortium inuitavit, & animavit.

Quam merito proinde eadem diuina
bonitas & prouidentia in beato illo
Apostolo sic exaltando mirabiliter
elucens suspicienda, prædicanda, a-
manda! Admiratio & laudatio diuinæ
sapientiæ & bonitatis, gratiarum a-
ctio.

II. Quam feruenter B. Petrus hanc
ram obstupescendam Domini erga se
bonitatem & liberalitatem recom-
pensare sit conatus, feruenti assiduo-
que exercitio harum sex præcipue
virtutum: 1. Ardentissimæ fidei quam
vbiq; ostendit præ cæteris discipu-
lis Christum verum Messiam confi-
tendo: *Tu es Christus filius Dei viui*, su-
per aquas ambulando, ad eundem post
resurrectionem in litore stantem vt
citius veniret, se in mare demitten-
do.

Matt. 16.

Matt. 14.

Ioan. 21.

2. Profundissimæ humilitatis, quam
prodidit videns miram capturam pif-
cium exclamando. *Exi à me Domine*, Ioan. 4.
quia homo peccator sum; recusando sibi
a Christo lauari pedes: *Domine tu mihi* Ioan. 13.
lauas pedes; permittendo se à Paulo Gal. 2.
publicè reprehendi.

3. Lu-

3. Intensissima pœnitentiæ, quam exercuit post lapsum amarè flendo & tota vita audito Gallicantu eundem fletum innouando.

Ioa. 2. v.

4. Inflammatisimi amoris erga Christum, quem ostendit, cum ab eo rogatus *Dilige me plus his?* Respondit, *Domine tu omnia scis, tu scis quia amo te.* Cum prædicentem eundem passionē

Matt. 16.

suam increpauit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc;* Cum nocte qua captus

Matt. 26.

Dominus dixit: *Ei si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabo.*

5. Eximij zeli animarum, quo incensus post acceptum Spiritum sanctum primus concionari cœpit tanto feruore spiritus, vt statim tria millia hominum ad Christum conuerterit: tot prouincias Euangelij seminandi causa peragravit, tot Ecclesias fundauit, ipsam arcem & caput omnium superstitionum Romam expugnare non formidauit.

6. Zeli pro Christo patiendi, & Christo dilecto Magistro suo pro se crucifixo se conformandi, quem demonstrauit voce & scripto omnes secum ad Christi patientis vestigia sequenda exhortando: tot vincula, tot flagella, tot opprobria cum gaudio tol-

tolerando, ad mortem crucis subeundam, voluntate Christi, sibi, dum furori Neronis suasu Christianorum cederet, obuiantis, & dicentis : *Vado Romam iterum crucifigi*, intellecta, se vltro offerendo. Zelus in his D. Petrum imitandi.

III. Quanta gloria eundem Dominus coronarit : In hac quidem vita tanta Apostolicæ sublimitatis prærogatiua, tanta Ecclesiæ Romanæ à se fundatæ firmitate, & inconcussa in vera fide constantia, tam extraordinaria tot miraculorum gratia, tam celebri eius in toto orbe memoria : In altera verò tam inæstimabilibus beatitudinis essentialis & accidentalis brauijs, tam illustribus eius virtutibus meritisque proportionatis. Congratulatio, spes, & feruor similis gloriæ simili feruore spiritus impetrandæ.

De vita S. Pauli Apostoli.

I. **E**Xpende quam abundè diuinæ pietatis viscera Deus exercuerit erga B. Paulum, quem vti ab æternitate elegit, ita in tempore assumpsit in vas electionis, in quo diuitias bonitatis & misericordiæ suæ toti mūdo spectant;

spectandas exhiberet, tam patienter
 electos suos persequentem tolerando,
 tam mirabiliter ad agnitionem veri-
 tatis conuertendo; tam potenter & re-
 pentè lupum sæuientem in agnum
 mansuetum, Ecclesiæ persecutorem
 in eiusdem propugnatorem, Magi-
 strum erroris in Doctorem veritatis
 conuertendo; tantaque cœlestium
 charismatum affluentia eundem cu-
 mulando; tam admiranda mysteria
 tam miro modo ipsi in tertium cœli
 raptò reuelando; tamque peculiari
 prouidentia ipsi vbique in omnibus
 assistendo, vt merito ea, quæ fecit, di-
 xit, scripsit, tolerauit, orbis obstupe-
 scat vniuersus. In finitæ Dei benignita-
 tis admiratio, laudatio, gratiarum actio.

II. Quam strenuè B. Apostolus tanta
 gratiæ sibi communicatæ collabo-
 rari, idque potissimum heroica assi-
 duaque exercitatione harum virtutum,

1. Summæ submissionis sui que despi-
 cientiæ, quam exercuit se nouissimum
 1. *Cor.* 15. Apostolorum & primum peccatorem
 1. *Tim.* 1. reputando, imo nihil se esse sentien-
 2. *Cor.* 12. do, & licet à Deo esset edoctus, nihi-
 lominus Euangelium suum cum Apo-
Gal. 2. stolis conferendo, ne forte in vanum
 curreret.

2. Intimæ gratitudinis pro gratia vocationis, quam toties extollit, alijsque agnoscendam inculcat.

3. Ardentissimi zeli animarum, qua inflammatus per tot vastissimas regiones, infulas, maria, reuelatæ sibi Evangelicæ veritatis Iudæis & gentibus prædicandæ gratia discurrit, omnibus omnia fieri non dubitavit, imò *Rom. 9.* anathema esse pro fratribus secundum carnem Iudæis optavit.

4. Tenerrimi erga dulcissimum Salvatorem suum Iesum amoris, quem semper in corde, in ore, in calamo habuit, ita vt in suis Epistolis quingenties nomen eius pijsimè vsurparit, cuius gloriæ propagandæ se totum impendit, cui se tam arctè coniunctum, & quasi agglutinatum sensit, vt dicere ausus sit: *Quis nos separabit à charitate Christi.* *Rom. 8.*

5. Infatiabilis desiderij amore dilecti sui durissima quæque patiendi, seque eidem amore sui tam dira, tam indigna patienti conformandi: vnde exclamat: *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi* *Gal. 6.* Et: *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo.* *2. Cor. 12.* Zelus has virtutes imitandi.

III. Quam

III. Quam copiosè Deus tot eius pro gloria sua susceptos labores, toleratas persecutiones, calumnias, cruciatus remunerarit; in præsentis tanta abundantia consolationum, tam felice conuersione tot gentium, tanta celebritate miraculorum; In futura verò corona iustitiæ pretiosissima, de qua ipse confidenter ait: *In reliquor-
2. Tim. 4. posita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Insuper & aureola Martyrij, & Doctoratus, incredibili gaudio, de gloria tot millium hominum olim per eius prædicationem conuersorum, & ad finem vsque mundi per Epistolarum eius lectionem saluandorum. Congratulatio, zelus pro corona iustitiæ legitime certandi.

2. Iulij.

Nota, de his virtutibus SS. Petri & Pauli breuiter indicatis posse per octauam plures insitisse meditationes: iuxta modum in vita S. Andrea supra declaratum.

In festo Visitationis B. Mariæ Virginis. vide 1. par. hebdom. 4. aduentus med. 4.

In

In festo B. Mariæ Magdalenaë. 22. Iulij.

De Euangelio festi Luc. 7. vide 4. p. medit. hebdom. 16. post Trinit. medit. 4. & 5.

De vita S. Mariæ Magdalenaë.

I. **E**Xpende incomprehensibilem diuinæ miserationis misericordissimi Saluatoris nostri erga Mariam Magdalenam excessum, quam licet præuideret culpa sua futuram vas contumeliæ & demonum hospitium, nihilominus ab æterno elegit in vas misericordiae, in quo potentiam gratiæ suæ ostenderet, & verè pœnitentium speculum, quod omnibus resipiscentibus peccatoribus imitandum proponeret: idque æternum pietatis suæ decretum executioni mandauit ex gratuita bonitate sua, modo tam suauis & efficaci, tam repente eam ad pœnitentiam existimulando, tanta gratia præueniendo, tanto amoris æstu inflammando, ad tantam perfectionem breui temporis spatio euehendo. Infinitæ Dei misericordiae erga illam, te, omnesque resipiscentes peccatores admiratio, laudatio, gratiarum actio.

Y y II. Quam

II. Quam vicissim illa se erga liberalissimum Dominum exhibuerit liberalem. 1. Affectus internos externosque veræ pœnitentiæ & compunctionis in priua sua conuersione inchoatos tota vita continuando, largissimasque compunctionis, compulsionis, & amoris lacrymas indies profundendo.

2. Profundissimæ humilitatis & intimæ gratitudinis affectus frequentando, suarum miseriarum & miserationi Domini abyssum iugiter intuendo.

3. Amorem ergo Saluatorem suum Iesum semper ardentissimum demonstrando, cumque nouis quotidie augere incrementis non cessando; cuius amoris telo semel salubriter sauciatus vix potuit à dilecto suo, à quo audierat, *Remittuntur tibi peccata tua*, unquam diuelli: hunc secuta est prædicationem, comitata patientem, non deseruit crucifixum, requisivit sepulchrum, secuta oculis & animo in cœlos assumptum.

Luc. 7.

4. Magno zelo conando quorquos posset ad amorem eiusdem dilecti sui verbo & exemplo trahere, quod non solum in Iudæa, quoad vsque licuit, præstitit, sed etiam in Gallias relega-

ta, ubi se nouam illis populis amoris
 erga crucifixum Magistram exhibuit.
 5. Veræ deuotionis & diuinæ con-
 templationis exercitijs audivissimè in-
 hians, & constantissimè vacando,
 non solum quoties illi ad pedes Do-
 mini sedere & audire verba gratiæ ex-
 ore eius concedebatur, sed tota insu-
 per reliqua vita, maximè illis triginta
 annis, quibus post Christi ascensio-
 nem in exilium relegata, in spelunca
 propè Mafsiliam angelicam vitam du-
 xit. Hos dignos veræ pœnitentiæ fru-
 ctus in Magdalena suspice, & æmula-
 ri propone.

III. Quam superabundè Christus
 pios eius affectus, desideria, & cona-
 tus remunerarit; in hoc quidem exilio
 eam apud Simonem de audacia, apud
 sororem de otio, apud Iudam de pro-
 digalitate accusatam defendendo; tan-
 tam illi tot amoris obsequia sibi defe-
 rendi oportunitatem gratiamque lar-
 giendo; tot fauoribus extraordinarijs
 eam cumulando; in vasta solitudine
 diuinarum rerum cõtemplatione sus-
 pensam per Angelos in aera eleuan-
 do, cœlesti harmonia recreando, dul-
 cissima visitatione sua dignando:
 In patria porrò tantò amplioribus

gloriæ prærogatiuis, quanto maiores
tot heroicis amoris, aliarumque vir-
tutum actibus thesauros gratiæ coa-
ceruarat in terris. Congratulatio, spes,
propositumque similem gloriam faci-
endo dignos fructus pœnitentiæ acquirendi.

25. Iulij.

In festo S. Iacobi Apostoli.

*De Euangelio festi Matth. 20. Vide 4. p.
med. hebdom. 23. post Trinit. med 5.*

*De vita eiusdem S. Iacobi Ma-
ioris.*

I. **E**Xpende quam peculiariter filius
Dei B. Iacobum ab æterno dile-
xerit, quàm misericorditer elegerit,
quàm suauiter postmodum in tempo-
re vocarit, & asciuerit in Apostolum,
& quidem vnum exijs, quos sibi fa-
miliarissimos in maximis mysterijs
testes adhibuit, qui primus omnium
se in bibendo calice passionis sequere-
tur, primus beato eius conspectu in
cœlo frueretur. Laudatio & amor Dei
sic vocantis, & gratiarum actio pro
gratia vocationis.

II. Quam

II. Quam liberaliter is respondere studuerit tam gratuitæ dilectioni, electioni, vocationi:

1. Grariam Apostolicæ vocationis magni semper æstimando, intimè amando, omnibus mundi blandimētis præferendo, se indignum ea reputādo.
2. Ardentissimè semper Dominum, à quo se tam peculiariter diligi sentiebat, redamando, eiusque gloriam promouere conando.
3. Magno feruore in conuersionem Iudæorum, & Hispanorum, ad quos Euangelica luce collustrandos excurrit, impense incumbendo, quantumuis laboris eius non responderet optatus fructus.
4. Pro honore Magistri sui tuendo, eiusque cœlesti doctrina propugnanda promptissimè iugulum offerendo. Zelus imitandi.

III. Quomodo eum Christus glorificarit: in hac quidem vita, tanta miraculorum celebritate, tanta in martyrio subeundo magnanimitate, & tanta populorum ad eius sacras reliquias ex toto orbe Compostellam confluentium veneratione; In altera condigna Apostoli culminis gloria, & martyrij aureola.

31. Julij.

In festo S. Ignatii Fundatoris
Societatis Iesu.

*De Vocatione, cooperatione, & glo-
rificatione eiusdem.*

I. **E**Xpende inuestigabiles diuitias
& liberalitatis Dei, quas abundè in
seruum suum Ignatium profudit, il-
lum ad tantam gratiam & gloriam ab
æterno prædestinando, in caput, du-
cem ac fundatorem nouæ religionis
familia in subsidium Ecclesiæ, in eos
recens exortis hæresibus profigandis
laborantis his nouissimis temporibus
erigendæ, ex gratuita dilectione eli-
gendo, & necessarijs tum naturæ, tum
gratiæ præsidijs munire statuendo: in
tempore verò eundem inter fratres
suos natu minimum, è sæculari militia
saucium ad spiritualis militiae Princi-
patum, vti alterum Dauidem à pal-
cendo grege ouium ad regnum, &
alterum Saulum prius profuatum, de-
inde erectum, & in Doctorem ge-
nium eleuatum, tam suauiter, officia

citer, & mirabiliter ad se perfectè sequendum vocando: Primum quidem per piorum librorum de vita Christi & Sanctorum lectionem, per suauissimam B. Virginis & S. Petri apparitionem, per abundantem internarum illustrationum impulsuumque communicationem ad ferium odium vanitatum mundi, ad solidum contemptum sui, ad veram peccatorum suorum agnitionem, detestationem, expiationem illum inducendo; deinde ad præteritæ vitæ noxas, negligentiasque resarciendas, per voluntariam paupertatem, per assiduam corporis afflictationem, per ærumnosam ad terram sanctam, Christi vestigijs olim consecratam, peregrinationem impellendo; tandemque ad maiorem divinæ Majestatis gloriam quam latissime perfectissimeque, per se, aliosque opera sua adiutos propagandam, salutemque plurimorum in densissimis infidelitatis hæreseos, ignorantiaque tenebris alias pereuntium verbo & exemplo, consilio & auxilio promovendam excitando: atque ad hunc finem assequendum, eundem quantumvis iam virum maturum 33. annos natum ad auspicianda puerilia latinæ lin-

guæ rudimenta, laboriosumque humanioris literaturæ, Philosophiæ & Theologiæ curriculum emetiendum vehementer impellendo. Suspice in his omnibus admirandam Dei erga illum providentiam, gratias age, & similem eiusdem erga te humili gratoque animo recole.

II. Quam liberaliter B. Ignatius hanc tantam erga se Dei liberalitatem recompensare contenderit.

I. Assiduo studio, eximie puritatis conscientie indies augendæ per continuam mortificationem, quotidianam confessionem, crebramque singulis penè horis discussionem.

II. Indefesso studio proficiendi in solidis virtutibus, earundem actuum internos tum externos quam intensissimos frequentando, quarum hæc fuere præcipuæ, 1. Profunda humilitas, qua abyssum nihili sui penetrabat, neminem se ingratiorem, & tot extraordinarijs Dei beneficijs indigniorem reputabat. 2. Intima gratitudo, qua inexhaustam divinæ largitatis abyssum iugiter suspiciebat, magnificabat, compensare satagebat. 3. Obedientia absoluta, qualem ipse in regulis, & in Epistola de obedientia, quasi vi-

uis coloribus depinxit, sed multò perfectius vita ipsa expressit. 4. Patientia & longanimitas in quibusuis aduersitatibus de manu Dei acceptandis, cum eximio desiderio imitandi filium Dei, in persecutionibus, calumnijs, opprobrijs, iniurijsque hilari animo perferendis. 5. Magnanimitas & eximia fiducia in diuina prouidentia in quibusuis casibus occurrentibus. 6. Eximia erga proximos omnes, maximè verò erga inimicos, maleuolos, & male de se, suisque meritis charitas & beneuolentia. 7. Sincerus zelus animarum ad vnicam gloriam eius, qui eas creauit, & tanto pretio redemit. 8. Ardens zelus maiorem gloriam & obsequium Dei semper, & in omnibus, omni possibili modo quærendi, & quam latissimè per se, omnesque alios promouendi.

iiii. Constanti & insatiabili studio arctissimæ vnionis cum Deo, per exercitia deuotionis, amoris & glorificationis Dei; absolutissimæque voluntatis suæ cum diuina conformationis per assiduum exercitium omnimodæ resignationis semper intendendæ; que omnia constant ex eius vita. Congratulatio, gratiarum actio pro concessis

Y y s

ipm

ipsi tot charismatis, & zelus æmulandi eius feruorem in cooperando prædictis modis diuinæ gratiæ.

III. Quam peculiariter quoque Deus sanctos eius pro gloria sua labores susceptos compensarit; in præsentibus, quæ aggressus est, assistentia, tam vberi cœlestium consolationum copia, tam subita & felici ordinis à se fundati propagatione, totque millibus animarum per se suosque conuersione; In futura porro digna tam heroicis eius desiderijs & conatibus tum essentiali, tum accidentalibus gloria, & incredibili gaudio de diuinæ Maiestatis gloria per totum orbem opera Societatis à se fundatæ, hucusque propagatæ, ac deinceps propaganda. Quam verè nunc experitur in se compleri illud diuinæ liberalitatis promissum.

1. Reg. 2.

Qui me honorificauerit, glorificabo eum.
 Nota, per Octauam posse institui de singulis virtutibus In puncto 2. insinuat meditationes, iuxta modum assignatum in festo S. Andrea, & S. Francisci Xauierii.

In festo S. Laurentij Martyris. 10. Aug.

De Euangelio festi. Ioh. 12.

I. **C**onsidera quam seridè Christus ad assiduum mortificationis tam spontè assumptæ, quam aliundè illatæ studium, & crucis martyrijque consortium omnes excitet, propositæ eius necessitate sub similitudine gratitritici, quod fructum non fert, nisi prius mortuum fuerit: Sic qui amat animam suam, præter debitum ei indulgendo, absurdas eius cupiditates non mortificando; non solum nullum vitæ æternæ fructum affert, sed insuper eandem perdet. Qui verò odit, non indulgendo sed mortificando, multum fructum affert, & in vitam æternam illam conseruat. Zelus mortificationis & martyrij.

II. Quam suauiter ad idem exemplo suo omnes prouocet. *Qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum: illic & minister meus erit.* Quam studiosè Christus tota vita vltro quæsiuit omnigenam mortificationem, quam promptè

oblatam acceptavit! Admirare, gratias age, imitare.

II. Quam efficaciter inuitet proposito præmio: *si quis mihi ministraverit, honorificabit illum Pater meus.* Ut sit videlicet socius gloriæ & consolationis, qui fuit socius temporalis mortificationis & passionis. Feruor proficiendi in zelo mortificationis & Martyrij.

De vita S. Laurentij Martyrii.

I. **E**Xpende quam admiranda Dei eluxerit bonitas & providentia in B. Laurentio. ad talem tam nobilis Martyrij palmam ab æterno prædestinando; & tam suavia illi in tempore media eam adipiscendi providendo, ut videlicet tali tempore, licet ex Hispania oriundus, Romæ S. Sixto Leuita seruiret, cum Valeriani persecutio in Christianos sequeretur; à quo cum ad supplicium raperetur, audiret: Post triiduum me sequeris Sacerdotem Leuita. Similis Dei providentia resplendet in quouis electo, & in te, uti speras, ad prædestinatam gloriam, sic deducendo. Admiratio, amor, gratiarum actio.

II. Quam gnauiter is oblata sibi tanta gratia.

gratia vti contenderit. 1. Angelicam mentis & corporis puritatem, quam Leuitici ordinis requirit sublimitas, studiosissimè conseruando. 2. Thesauros Ecclesiæ ex mandato S. Sixti, ne in tyranni manus deuenirent, in pauperum sinus recondendo. 3. Omnes ad fidei constantiam verbo & exemplo animando. 4. Summo ardore ad martyrium amore Domini pro se crucifixi anhelando. 5. Inuicta animi constantia tam atroces cruciatus sustinendo, & in craticula candente semirostus tyranno insultando. Zelus in his illum pro viribus imitandi.

III. Quanta illum gloria Deus decorarit, In terris quidem tanta miraculorum gratia, tanta cœlestis dulcedinis inter tormenta inundantia, tam celebri gestorum eius per totum mundum memoria; In cœlis vero pretiosa iustitiæ corona, & triplici accidentalis gloriæ aureola. Congratulatio, spes, desideriumque similis beatitudinis similibus meritis acquirendæ.

19. Aug. In solennitate Assumptæ B. Vir-
ginis, & per Octauam.

I. De triplici obsequio à B. Virgine
Christo exhibito.

Ex Euangelio. Luc. 10.

F. **E**Xpende quanto excellentiori
modo B. Virgo, quam Martha,
Filium Dei venientem in castellum
huius mundi hospitio exceperit, non
in domum vt Martha, non vt Dauid
arcam fœderis in Regiam suam, nec vt
Salomon, in templum à se exstructum,
sed in virgineum vterum nouem mē-
sibus, & in cor suum æternum per gra-
tiam inhabitandum: Idque intensissi-
mo humilitatis, gratitudinis, amoris,
resignationis affectu, inquit: *Eccē*
ancilla Domini, fiat mihi secundum ver-
bum tuum; nec solum tunc sic excepe-
rit, sed tota etiam vita cordis saltem
hospitio fouerit, eminentiori semper
prædictorum affectuum excessu. Quæ
illa proinde ineffabili filialis amoris
affectu, migrans ex hoc mundo vicissim

Luc. 1.

sim fuerit excepta à Filio in sublimif-
simum cœli folium? Congratulare
B. Matri de tanta gratia & gloria, di-
uinam erga eam benignitatem admi-
rare & extolle, eamque in frequentan-
dis prædictis affectibus humilitatis,
gratitudinis, amoris, resignationis
imitari statue.

II. Quanto sublimiori modo, quàm
Mar. Magdalena sederit ad pedes Do-
mini, audiens verbum illius, & vacans
tota vita contemplationi diuinorum
attributorum, beneficiorum, mysterio-
rum vitæ, mortis & resurrectionis filij
sui: Et quidẽ tanto sublimiori, quanto
clariorem habebat omnium illorum
cognitionem, ob lumen fidei & dono-
rum Spiritus sancti, sapientiæ, intelle-
ctus, scientiæ, consilij maximum illi
primitus infusum; & quanto inten-
siorem habitum caritatis, deuotionis,
aliarumque virtutum infusum acceperat,
indiesque mirum in modum auxerat.
Quanto ergo meliorem partem inesti-
mabilis gloriæ illi, quàm Magdalensæ
assignarit? Congratulatio, zelus pro-
ficiendi in deuotionis exercitijs.

III. Quanto eminentiore modo ea-
dẽ B. Mater Filio omnia maternæ cha-
ritatis obsequia, quàm sollicita Martha
eidem

eidem

eidem ceu peregrino hospitalitatis officia, præstiterit; idque triginta tribus annis, tum quoad externam sedulitatem & decentiam, tum quoad internam deuotionem, & quidem tanto perfectius & affectuosius, quanto clarior talis Filij infinitam dignitatem agnoscebat; quanto tenerius eundem diligebat; & quanto vicissim altius se ab illo sublimari, & intensius redamari sentiebat. Quanto ergo augustiorem ab eodem Filio suo æquissimo meritum aestimatore hodie receperit iustitiæ coronam? Congratulatio, gratiarum actio, zelus imitandi illam in operibus charitatis & misericordiæ erga proximos perfectè exercendis.

II.

*De præparatione B. Virginis
ad mortem.*

I. **C**onsidera quam feruenter & ardentè B. Virgo optarit dissolui, & esse cum Christo filio, ex purissimo eius amore, nunc seipsam alloquendo:

Psal. 119. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus

Psal. 141. est! Nunc Filium: Educ de custodia ani-

nam meam ad confitendum nomini tuo.

Nunc Angelos interpretes desiderij

sui adhibendo: nihilominus cum om-

nimoda resignatione in manus diui-

na:

næ providentiæ identidem ingemina-
rit: *Veruntamen non mea voluntas, sed* Luc. 22.
tua fiat. Desiderium patriæ cum resi-
gnatione ad longiores grauiioresque
labores viæ.

II. Cognito diuinitus vitæ suæ sen-
sim appropinquare terminum, quam-
ferò se ad mortem præpararit, in dies
& horas, nouo feruore frequentando
feruentia Dei clarè videndi desideria,
actus perfectissimæ resignationis, a-
moris, zeli gloriæ Dei solito feruen-
tius multiplicando, maiorem in om-
nibus ordinarijs suis exercitijs deu-
tionis erga Deum, erga proximum,
erga seipsum adhibere conando feruo-
rem. Zelus eam amulandi in quoti-
diana renouatione feruoris proficiendi.

III. Quàm lato & resignato animo
excepit nuncium per Gabrielem de
migratione sua instante sibi à Filio
transmissum, respondendo: *Lætata sum* Psal. 127.
in his quæ dicta sunt mihi. Ecce ancilla
Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Quanto item gaudio Apostolos con-
gregatos amplexata & consolata sit,
benedictionemque ijs impertierit a-
more languens, & ad Filium anhelans:
tantò sanè ardentius, quanto tenerins
eum amabat, & propius resolutionem

Cant. 5.

corporis sui instare sentiebat; quanto affectu ingeminarit: *Adiuro vos filie Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, ut nunciatis ei, quia amore langueo.* Quanto gaudio iam iam appropinquantem dilectissimum viscerum suorum videre, alloqui, amplecti desiderarit! Zelus hos affectus amoris, resignationis imitandi.

III. De dormitione B. Virginis, & assumptione quoad animam.

I. **C**ONsidera quanto lætitiæ amorisque sensu, quam feruenti frequentatione feruentissimorum affectuum humilitatis, fiduciæ, gratitudinis, amoris, resignationis, zeli gloriæ Dei, Virgo beata in suauissima Angelorum & Apostolorum præsentia, nullo morbo, nullo dolore, grauata, sed amoris ardentissimi telo faucibus benignissime inuitata à Filio præsentem, innumerabilibus ornatam meritis animam placidissimè efflârît, in hæc aut similia suspiria erumpens: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Ecco ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. In manus tuas Deus meus, Filii mei, commendo spiritum meum. Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimisi-*

dimittam. Congratulatio, gratiarum actio pro tam eximia in morte illi indulgentia, desiderium similis beatæ mortis.

II. Considera quàm dulciter Christus Dominus sanctissimam Matris suæ animam diuinis brachijs excepit, quamque illa gloriosè in nixa super dilectum Filium suum ex huius mundi deserto in cœlestem paradysum delicijs affluens ascenderit, inuitante

æterno Patre: *Accumbe nunc in iucunditate, quoniam inuenisti gratiam coram* Iudic. 12.

me. & Spiritu sancto: Veni de Libano Cant. 4.

sponsa mea, veni, coronaberis. Accinentibusque sanctis Angelis: *Tu gloria*

Iudic. 13.

Iudic. 13. *Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia semper fecisti viriliter, eò quod castitatem amaueris. Et ideo eris benedicta in æternum.* Congratulatio, gratiarum actio, spes gloriæ.

III. Quanto amore & triumpho fuerit in cœlo excepta, à Patre vt Filia, à Filio vt Mater, à Spiritu sancto vt Sponsa dilectissima, à tota Curia cœlesti vt Regina hominum & Angelorum, & pro meritis gloria & honore coronata. Affe-

ctus ijdem.

De

IV. De magnitudine gloriae essentialis B. Virginis, & medijs quibus eam est consecuta.

I. **E**Xpende quam immensa, sublimis, & incomprehensibilis sit collata beatissimæ animæ Deiparæ essentialis beatitudo in visione, amore, & fruitione beatifica consistens, quæ æstimari potest. 1. Ex infinita Dei liberalitate in quibusvis iustorum obsequijs supra condignum remunerandis, iuxta illud: *Mensuram bonam, & confertam, & coagulatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Si enim omnia iustorum etiam minima merita supra condignum remunerantur, quanto magis B. Matris penè innumerabilia & inæstimabilia? 2. Ex infinita iustitia Dei, quæ si in numero, pondere, & mensura singula meritoria opera iustorum, etiam minutissima usque ad haustum frigidæ indigenti porrectum æstimat, ponderat, & compensat, iuxta illud: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quanto magis maxima & perfectissima B. Virginis Matris penè in infinitum multiplicata obsequia? Ex præ eminentia sanctificantis gratiæ, quæ est semen gloriæ, quò enim illa in**

hac

Luc. 6.

Ibidem.

hac vita fuit acquisita sublimior, tantò etiam gloria in altera ei correspondens reddetur excellentior. Qualis ergo reddita fuerit post mortem Deiparæ sublimitas gloriæ, cui tanta fuit instanti conceptionis infusa plenitudo sanctificantis gratiæ, quam tota deinceps vita in singula penè momenta tantis auxit incrementis? Unde non immerito nō pauci Theologi sentiunt collatam ipsi vni gloriam, omnium Sanctorum simul sumptorum gloriã fuisse maiorem. Congratulatio, gratiarum actio, diuinæ liberalitatis collaudatio.

II. Quomodo tantam animæ beatitudinem promeruerit olim in terris,

1. Conando in singula penè momenta seipsa euadere sanctior, Deo que gratior, vt proinde omnes eius virtuosæ actiones ob solam dignitatem personæ euaserint quoque indies digniores.

2. Multiplicando actus meritorios tum internos, tum externos caritatis, & præcipuarum virtutum ex motiuo eiusdem charitatis.

3. Frequentando eosdem quàm intensissimos toto conatu, secundum omnem virtutem à Deo acceptam ex tota latitudine habitus acquisiti, &
non

non rarò etiam supra, accedente noua actuali gratia.

4. Exercenda eosdem circa obiecta maximè ardua, & superaddendo desideria longè vires excedentia.

5. Plerosque maximè meritorios virtutum actus, vt humilitatis, gratitudinis, amoris, resignationis, zeli gloriæ Dei & similes longo tempore, ferè tota vita continuando.

6. Omnia agendo & patièdo ex optima intentione tum aliarum virtutum, tum præcipuè purissimi amoris, honoris & beneplaciti Dei, in vnione infinitorum meritorum Filij. Congratulatio, zelus in his eam æmulandi.

III. Quomodo hanc tantam eius gloriã suspexerint sancti Angeli, æternumque suscecturi sint omnes Beati, diuinamque in ea liberalitatem & magnificentiã collaudaturi: & quã ineffabile gaudium ex participatione tantæ illius gloriæ preecepturi? Congratulatio, gratiarum actio, spes gaudij ex B. Virginis gloria participandi.

V. *De assumptione eiusdem quoad corpus.*

I. **C**ONsidera qua reuerentia & deuotione corpus eius sanctissimũ

ab

ab Apostolis mira Dei providentia Hierosolymæ congregatis, alijsque Christianis fuerit elatum, miraculis clarificatū, in Gethsemane terræ mandatum, incorruptum diuinitus conseruatum, concentu Angelico honoratum breui resuscitandum. Quanto id è cælo gaudio beata eius anima viderit, diuinæque erga se liberalitati gratias egerit. Congratulatio, gratiarum actio.

II. Quanta exultatione gloriosa eius anima tertio die iussu SS. Trinitatis è cælo descendens, comitantibus Angelis, ad Virgineum suum corpus redierit, illudque gloriosum resumpserit: quanto stupore, quanto gaudio perfusa fuerit, cum tantam sibi corporis & animæ gloriam collatam conspexit: quanta deuotione diuinam erga se munificentiam collaudarit: quanto affectu intimæ humilitatis, gratitudinis, amoris, zeli gloriæ Dei sic se exaltatam videns solenne suum canticum Magnificat ingeminarit! Congratulatio, affectuum humilitatis, gratitudinis, amoris, zeli gloriæ Dei frequentatio.

III. Quanto cum triumpho comitantium Angelorum, diuinasque laudes
con-

continentium, cœlorum Regina æ-
 rem, cœlosq; transcendens in altissimo
 cœli empyrei locum. ante SS. Triados
 solum deducta, ad dexteram Filij col-
 locata, super omnes Angelorum cho-
 ros exaltata sit: quanta submissione
 ante thronum Dei prostrata, tantum
 infinitæ Dei erga se benignitatis ex-
 cessum venerabunda suspexerit, & ma-
 gnificarit, atque in Deo suo, non in se
 exultarit, consuetos sibi affectus hu-
 militatis, gratitudinis, amoris æter-
 num continuatura. Congratulatio,
 eorundem affectuum cantici *Magnifi-
 cai* pia frequentatio.

VI. *De Magnitudine gloriae corporis
 eius glorificati.*

I. **E**Xpende quam inæstimabilis fue-
 rit illius gloriosissimo corpori
 collata gloria & beatitudo, tum quoad
 ad dotes corporum glorificatorum,
 quæ sunt: Claritas, impatibilitas, sub-
 tilitas, agilitas, in eminentissimo gra-
 du illi communicatas; Tum quoad
 singulorum sensuum oblectationes in-
 cessas, cuius gloriæ magnitudo aliquo
 modo æstimari potest. Ex magnitu-
 dine gloriæ beatæ eius animæ in cor-
 pus

pus redundantis. 2. Ex summa eiusdem corporis, nulla vnquam peccati labecula aspersi, puritate, & plusquam Angelica innocentia. 3. Ex sanctissimo omnium sensuum & membrorum vsu secundum diuinum beneplacitum, tota vita, absque vlla imperfectione, continuato. 4. Ex ineffabili eiusdem corporis, ex quo Filius Dei carnem assumere dignatus est, dignitate. Congratulatio, gratiarum actio pro tanta virginei corporis virginæ Matris gloria.

II. Quomodo eam in vita promeruerit: 1. Assiduo feruentiq; studio non solum Angelicam puritatem illibatam conseruandi, sed etiam in dies & horas in eximia perfectione proficiendi, neque id solum crebrius pia maioris profectus desideria renouando, sed etiam necessaria media sollicitè strenueque adhibendo. 2. Iugi exercitio internæ externæque mortificationis, nunquã propriæ sensualitatis, voluntatis, & iudicij instinctum, sed semper in omnibus diuinæ voluntatis ductû sequendo. 3. Ardua quæque amore Dei promptissimè faciendo & patiendo, & multo plura & magis ardua facere & pati desiderando, cum insatiabili

bili desiderio perfectissimè diuine
Maieftati propter se, semper & in om-
nibus gratificandi, eiusque gloriam
promouendi. Zelus in his eam am-
landi.

III. Quàm attenti hanc ineffabilem
glorificati corporis eius pulchritudi-
nem admirati fuerint, æternumque
admiraturi sunt omnes incolæ cœle-
stis Ierusalem, quàm mirificè splende-
re eius coruscantem cernunt: quam-
incredibile gaudium ex beato illius
conspectu consortioque participarint,
æternumque participaturi sint, maxi-
meque illi, qui in hac vita eam deu-
tius coluerint, tenerius amarint, stu-
diosiusque imitari contenderint. Con-
gratulario, spes felici eius aspectu in
cœlis fruendi, desideriumque eam per-
fectius colendi, amandi, imitandi.

VII. *De varijs coronis, & laureolis Regina
cœlorum à SS. Trinitate
impositis.*

I. **E**Xpende quomodo B. Virgo non
solum fuerit eleuata super nouè
choros Angelorum ad dexteram Filij,
Psal. 44. iuxta illud: *astitit Regina à dexteris tuis
in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Sed

Sed omnium insuper & singulorum coronis gloriæ, & quidem in gradu excellentiori coronata, quas promeruit perfectioribus actibus earum virtutum, quas & perfectiores habuit, & perfectius exercuit quàm Angeli, qui dum essent viatores, easdem exercere, sicque gloriam suis meritis respondentem sibi peperere. Si enim primo Angelo, qui postea per superbiam corruit, concessa fuerunt nouem genera pretiosorum lapidum, id est, ornamenta & perfectiones nouem chororum Angelorum, iuxta illud Ezechielis: *In delicijs paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus ornamentum tuum, Sardius, Topazius & Iaspis, Chrysolitus & Onyx & Beryllus, Sapphirus & Carbunculus & Smaragdus*: Quanto eminentiori iure, & modo his ornata fuerit Regina Angelorum? Admiratio, congratulatio, desiderium eius plusquam Angelicam perfectionem saltem à longè imitandi.

Ezech. 18.

II. Quomodo triplici pretiosissima corona à SS. Trinitate fuerit coronata: A Patre corona potestatis post Christum summæ super omnes creaturas cœlestes, terrestres & infernales: A Filio corona sapientiæ & cognitio-

Z z 2

nis

Dis eminentissimæ, non solum diuinæ
 essentiæ, sed etiam omnium rerum
 creatarum, omniumque quæ ad digni-
 tatem & munus Matris & Advocatæ
 omnium hominum pertinerent: A
 Spiritu sancto corona caritatis arden-
 tissimæ, non solum erga Deum, sed
 omnes etiam proximos cum materno
 zelo eorum salutē promouendi. Quo-
 modo tres cœlestes Angelicæ hierar-
 chia videntes eam tam pretiosis coro-
 nis redimitam obstupuerint, submis-
 se adorarint, eidem congratulatæ sint,
 Deumque illam sic exaltantem glori-
 ficarint! Quanto porro in intimâ
 humilitatis, gratitudinis, amoris, zeli
 gloriæ diuinæ sensu, coronas illas suas
 ante thronum Dei prostrata demise-
 rit, illique eas omnes acceptas retule-
 rit? Congratulatio, gratiarum actio
 pro coronis illi collatis, zelus imitan-
 di prædictos eius affectus humilitatis,
 gratitudinis, amoris, zeli gloriæ Dei.
 III. Quomodo præterea coronata
 fuerit triplici accidentalis gloriæ co-
 rona, videlicet Laureola Virginitatis,
 & quidem excellentissima tanquam
 Primiceria Virginum: Laureolâ Mar-
 tyrij, tanquam Regina Martyrum:
 Laureolâ magisterij, tanquã Magistra
 Do.

Doctorum. Quas Laureolas promeruit Angelicam puritatem mentis & corporis illibatam summa sollicitudine conservando: Patienti Filio cum acerbissimo doloris sensu compatendo, eademque cum illo opprobria & tormenta sustinere desiderando: Mysteria fidei ipsos Apostolos, omnesque quotquot poterat Christianos zelosissime edocendo. Omnes verbo, consilio, exemplo ad eximiae perfectionis studium excitando, omnes omnino homines, quotquot tunc erant, & futuri erant, visceribus charitatis intimè complectendo, omnium salutem promovere, gloriamque Dei propagare quàm perfectissime per se, aliosque omni possibili modo desiderando. Cōgratulatio, imitatio.

*De Corona stellarum duodecim et VIII⁹
dem impertita.*

I. **E**Xpende quomodo Regina Sanctorum omnium insuper à SS. Trinitate coronata fuerit corona stellarum duodecim, quâ eam redimitam vidit B. Ioannes, id est, gloria duodecim ordinum, SS. videlicet, Patriar-

Apoc. 12.

Z. z. 3

Mar:

Martyrum, Confessorum, Doctorum, Sacerdotum, Monachorum, Eremitarum, Virginum, Viduarum, Coniugatorum SS. Et quidem in tanto excellentiori gradu, quo illius vnus gratia & sanctitas istorum omnium gratiam & sanctitatem longiori intervallo superabat. Congratulatio, gratiarum actio pro collata illi tanta gratia & gloria, spes in eius patrocinio.

H. Quomodo tantam omnium Sanctorum peculiarem gloriam in tam eminenti gradu sibi in vita comparari exercendo quoad actus internos & externos omnes illas virtutes, quibus singuli Sanctorum Ordines eminebant, videlicet fidem Patriarcharum, spem Prophetarum, charitatem Apostolorum, fortitudinem Martyrum, patientiam Confessorum, zelum Doctorum, deuotionem Sacerdotum, solitudinem Eremitarum, obedientiam Monachorum, puritatem Virginum, humilitatem Viduarum, fidelitatem Coniugatorum: Et quidem tanto perfectius, quanto perfectiores earum habitus infusus acceperat, eosdemque indies maioribus incrementis auerati quo sublimiore sanctificante gratia eminebat; quo se capaciores nouo-

rum auxiliorum efficacis gratiæ in horas ac momenta singula reddebat. Cōgratulatio, gratiarum actio, zelus imitandi.

III. Quomodo omnes beati Patriarchæ, Prophetæ & Iusti hanc tantam Regiæ suæ gloriam obstupuerint, illi congratulati sint, diuinamque erga illam liberalitatē magnificarint. Quanto congratulationis, exultationis & glorificationis Dei affectu, omnes Sanctorum ordines idem in omnem æternitatem sint continuaturi, maxime illi, qui peculiari deuotione in vita eam colere, amare, & imitari contenderunt? Affectus ijdem.

In Festo S. Bartholomei Apostoli. 24. Aug.

De Euangelio Festi vide 4. part. medit. hebd. 10. post Trinit. medit. 2.

De vita eiusdem S. Bartholomei.

I. **E**Xpende ex quam peculiari dilectionis affectu filius Dei Bartholomæum ab æterno duodenis Ecclesiæ suæ Principibus annumerandum

Zz 4 ele

elegerit, & in tempore vocarit, traxerit, instruxerit, tandemq; ad optatum muneris Apostolici, & nobilis martyrij brauium deduxerit: quam varijs & miris modis, alios quoque Electos omnes & singulos ad se trahere, deducere, atque ad optatam tandem meram perducere consueuerit: Et re, præ tam multis, quàm mirabiliter vocauerit, traxerit, & hucusque sic deduxerit. Gratitude, amor, feruor gratiæ uocationis respondendi.

I. Quomodo ille tam peculiari gratiæ respondere contenderit, triplicem potissimum zelum assiduè exercendo.

1. Zelum deuotionis, centies interdium, & centies noctu flexis genibus Deo supplicando.

2. Zelum gloriæ Dei & salutis animarum, quem exseruit per citeriorem Indiam, & maiorem Armeniam indefesso labore Euangelium regni disseminando, & tot idololatrarum millia, atque in his Regem ipsum Armeniæ Polythium, cum coniuge & duodecim ciuitatibus, ad Christum agnosendum, colendumque pertrahendo.

3. Zelum Martyrij pro Christo fortiter subeundi, quem ostendit, dum inuictis hilariq; animo pellem sibi uiu-

ab

ab Affyage Regis conuerſi fratre de-
trahi permittit, & caput ferro truncan-
dum obtulit. Zelus imitandi.

III. Quam glorioſè Chriſtus hunc
eius triplicem zelum compenſarit, in
præſenti vita peculiaribus copioſè gra-
tiæ præſidijs, & ſolatijs: In futura exi-
mijſ gloriæ essentialis & accidentalis
brauijs. Congratulatio, gratiarum a-
ctio, ſpes, ardor que ſimili zelo ſimilem
gloriam acquirendi.

In Feſto Natiuitatis B. Virginis: 8. Sept.
MARIA, & per octauam.

De Natiuitate B. Virginis.

I.

EXpende quantum nata hac Vir-
guncula, tanquam orta aurora
veri Solis iuſtitiae prænuncia, in cælo,
mundo & limbo fuerit exortum gau-
dium. In cælo quidem, quomodo
SS. Trinitas in tali Filia, Matre, Spon-
ſa, in qua ditanda tam inæſtimabiles
inſinitæ potentiæ, ſapientiæ & boni-
tatis ſuæ theſauros tam liberaliter ex-
penderat, nunc in lucem edita ſibi cõ-
placuerit: quomodo omnes cœleſtes.

Z z s hierar.

hierarchiæ beatorum Spirituum cœnantes illam, cuius ope, vt promissum erat, cœlestis Ierusalem ruinæ essent instaurandæ, exultarint, Deumq; tam fidelem in promissis, & liberalem glorificarint: In limbo, quàm ineffabili gaudio SS. Patriarcharum progenitorum eius, Prophetarum & Iustorum animæ delibutæ fuerint, cum ex diuina reuelatione huius tam optatæ auroræ ortum didicissent: In mundo, quàm incredibile exultatione cordis sibi congratulati fuerint pij parentes eius de tali filiola sibi diuinitus promissa, & miraculosè concessa, quæ Mater esset futura Saluatoris mundi? Quàm humili gratoque animo diuinam erga se liberalitatem magnificarint. Quàm æquum fuisset, vt totus mundus illa tam beata hora, si beneficium sibi collatum agnouisset, in festiuos plausus & voces laudis, & gratiarum actionis erupisset! Vtinam nunc saltem nos, quibus diuinæ pietatis per hanc Virgunculam humano generi exhibendę consilium innotuit mundi ignorantis vices suppleamus, & totis præcordiorum medullis cum Ecclesia exclamemus: Natiuitas tua Dei genitrix Virgo, gaudium annunciat

ciavit vniuerso mundo ! Congratulatio, gratiarum actio, diuinæ bonitatis laudatio.

H. Quam longo interuallo hæc Virguncula non solum omnes progenitores suos, qui ab Euangelistis Matthæo & Luca recensentur, & quidem eorū non paucos eximijs Dei donis ac virtutibus illustrissimos, sed ipsos etiam Angelicos Spiritus superarit singulari prærogatiua omnium gratiarum: ac proinde quomodo tantā diuinorum charismatum in eam vnā congestorum præminentiam suspexerint, Seraphini tantum charitatis ardorem, Cherubini tantam scientiæ plenitudinem, Throni tantam internæ pacis abundantiam, reliqui Angeli tantam omnium virtutum ac donorum excellentiam: attonitiq̄ue in has voces eruperint: *Qua est ista qua ascendit per desertum quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhe, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentary?* Admiratio, congratulatio, gratiarum actio.

III. Quam ex peculiari prouidentia Dei gratiosissimum MARIÆ uomen ab Angelo prænunciatum, illi fuerit à parentibus impositum, quod præcipua eius officia & privilegia indicaret

(cum Maria idem sit quod Domina,
 exaltata, illustrata, & illustrans, Magi-
 stra populi, mare amarum, stella ma-
 ris) quod videlicet esset futura Domi-
 na mundi, Regina cœli, exaltanda su-
 pra omnes creaturas ad solium Filij;
 illuminanda altissima cognitione se-
 cretorum cœlestium; illuminatura
 splendore scientiæ & sanctitatis suæ r-
 niuersum mundum: futura ob com-
 passionem erga Filium mare amarum,
 & Regina martyrum; Stella maris in
 periculoso mundi pelago naufragan-
 tium, refugium peccatorum, solacium
 afflictorum. Quam gratulandum er-
 go illi de tanta nominis excellentia,
 & nobis de tam fida inter tentatio-
 num & aduersitatum procellas ancho-
 ra diuinitus concessa! Quanto affectu
 audiendum mellisui Bernardi consi-
 lium: *In periculis, in angustijs, in rebus
 dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca,
 non recedat ab ore, non recedat à corde, &
 ut impetres eius orationis suffragium, non
 deseras conuersationis exemplum. Con-
 gratulatio, Dei glorificatio, pe-
 culiaris erga B. Virginem
 deuotio.*

*Homil. 4.
 super
 Missis.*

De actibus internis. externisque virtu- II.
tum à B. Virgine in atate tenera.
frequentatis.

I. **E**Xpende quam intensos B. Virgo
in hanc lucem edita affectus hu-
militatis, reuerentiæ, gratitudinis, a-
moris erga Deum, resignationis, seu
oblationis sui ipsius, zeli diuinæ glo-
riæ, quos in vtero, vsu rationis mira-
culosè præuenta inchoarat, nouo fer-
uore renouarit, atque indies eosdem
intensiores frequentare studuerit pro-
mensura scientiæ clarioris, & gratiæ
amplioris sibi communicatæ. Quo-
modo Angeli meritò admirabundi
magnos illius in sanctitate & gratia
progressus suspexerint: *Qua est ista qua
progrreditur quasi aurora consurgens, pul-
chra ut luna, electa ut sol, terribilis ut ca-
strorum acies ordinata!* O quam verè
fundamenta & initia perfectionis eius
fuère in montibus altis, in sublimissi-
mis præcipuarum virtutum actibus?
O si similes illis in meta viæ vel semel
elicere posses, quales illa initio viæ
toties frequentauit? Congratulatio,
zelus imitandi.

Zz 7

II. Quo-

II. Quomodo eisdem, similesque affectus triennio in parentum domo indies tanto perfectius frequentari, quanto clarius indies diuinæ potentia, sapientia, bonitatis, liberalitatis, charitatis abyssum, beneficiorum sibi populoque sub collatorum magnitudinem, bonorum gratia & gloria per promissum Messiam mox venturum mundo conferendorum excellentiam diuina illustratione cognoscebat: quam ardentem iam tunc etiam cœperit celeriolem Saluatoris aduentum efflagitare, seque in postremam pedissequam ad omne eius, dignissimamque eius matris futuræ obsequium offerre! Affectus iidem.

III. In quantam illa pios parentes, & domesticos familiaresque omnes rapuerit sui admirationem plusquam angelica innocentia, modestia, & morum grauitate coniuncta, cum eximia erga parentes & maiores reuerentia, erga æquales affabilitate & verecundia, erga pauperes & afflictos misericordia, erga omnes charitate, & obseruantia, ita vt omnes illam tanquam de cœlo lapsam omnis virtutis ideam suspicerent, obseruarent, æmularique optarent. Quam gratum fuit illa spe-

ctacul.

Et aculum Deo, Angelis & hominibus! Congratulare & æmulare.

Possunt per octauam alia sex meditationes formari de 12 privilegijs, & precipuis 12. virtutibus assignatis in duplici modo recitandi corollam B. Virginis, qui traditur I. p. industriarum cap. 13. §. 4.

De 4. Privilegijs B. Virginis ab eterno Patre collatis. III.

I. **E**Xpende quam eximia sint singulæ harum 4. Prærogatiuarum, 1. Quod B. Virgo sit à Patre ab æterno electa in matrem filij.

2. Præseruata in conceptione à labe originali.

3. Ornata tot eximijs charismatis & virtutibus.

4. Per internuncium Gabrielem assumpta in Matrem filij. Congratulatio gratiarum actio, Dei glorificatio.

II. Quam gratam se B. Virgo pro his omnibus exhibuerit frequentando actus intimæ humilitatis, gratitudinis, amoris, zeli gloriæ eius, conando iisdem sanctè uti iuxta eius beneplacitum. Zelus imitandi.

III. Quam

III. Quam eximia quoque sint beneficia tibi his similia collata. 1. Quod sis ab æterno, vti speras, prædestinatus in filium Dei. 2. Liberatus per baptismum ab originali. 3. Multis peculiaribus gratijs præ alijs ex gratuita liberalitate præuentus. 4. Assumptus in spirituales matrem eorum, quos oratione, verbo & exemplo Deo parere potes iuxta gratiam vocationis. Quam te quoque simili modo oporteret esse gratum, prædictos affectus cum B. Virgine frequentando, acceptisque talentis rectè vtendo! Gratitude, sermor cooperandi gratiæ.

IV.

De 4. Prærogatiuis eidem à Filio concessis.

I. Simili modo expende quam sublimes sint singulæ 4. harum prærogatiuarum, 1. quod filius Dei ab ea dignatus sit in vtero gestari. 2. infans lactari. 3. Adolescens educari. 4. Habere eandem perpetuam comitem & sociam laborum, dolorum, gaudiorum. Congratulatio, gratiarum actio, Amor.

II. Quam

II. Quam eximie se pro his B Ma-
ter gratam præstiterit, summa cum
perfectione omnia materna obsequia
illi deferendo, intimè eum amando,
ardenter imitando. Zelus imitan-
di.

III. Quanta quoque tibi his similia
sint collata, & nunc conferantur ab
eodem beneficia; & quantam vicissim
à te exigant gratitudinem, & zelum
eundem redamandi, animasque ipsi
lucranda, quod videlicet dignetur to-
ties à te in sacra communione sumi, &
in corpore gestari. 2. Lactari in pue-
ris, quos tibi instruendos offert. 3. E-
ducari in adultioribus, quos tibi in-
viam salutis dirigendos tradit. 4. Ha-
bere te quoque socium suorum labo-
rum, opprobriorum, dolorum,
gaudiorum. Gratitudo,

Amor zelus animas

Christo lucran-

di.



De.

V.

De 4. Prærogatiuis eidem à Spiritu
sancto communicatis.

I. **E**Xpende quam hæc quoque 4. sine
inæstimabiles prærogatiuæ, quod
à Spiritu sancto sit assumpta, & supra
omnes puras creaturas euecta 1. In
Sponsam electissimam 2. In templū &
sacrarium peculiariissimum 3. In Regi-
nam & aduocatam hominum. Con-
gratulatio, Dei glorificatio, gratiarum
actio.

II. Quam humili, grato, inflamma-
toque mentis affectu se his reputare
indignam, diuinamque in se sic exal-
tando liberalitatem magnificari. Ze-
lus imitandi.

III. Quam peculiaris quoque tibi à
Spiritu Sancto sit exhibita dilectio,
quod te assumpserit 1. In sponsam per
gratiam iustificationis 2. In templum
per gratiam peculiaris protectionis &
conservationis in statu gratiæ. 3. In
seruum peculiarem Reginæ Angelo-
rum per donum reuerentiæ & deuo-
tionis erga eam communicatum. 4. In
clientem & filium aduocatæ homi-
num, per filialem fiduciam & amorem
erga

erga eandem inspiratum. Et quam par sit te tantæ gratiæ gratum exhibere affectu & effectu. Gratitude. Zelus ductum Spiritus S. promptè sequendi.

De 4. Virtutibus præcipuis B. Virginis erga Deum.

VI.

I. **E**Xpende in quam eximio gradu habuerit B. Virgo virtutes 4. erga Deum, Fidem, Spem, Charitatem, Religionem. Congratulatio, gratiarum actio, zelus imitandi.

II. **Q**uam latè, purè, intensè, constanter, insatiabiliter earum actus inter nos frequentarit. Zelus imitandi.

III. **Q**uam perfectè earum quoque actus exercuerit. Zelus imitandi.

De

VII.

De 4. Virtutibus illius erga se-
ipsam.

- I. **E**Xpende quam perfectæ fuerint virtutes illæ, quam puræ, intensæ, constantes, quibus erga seipsam prædita fuit, nimirum Humilitas, Virginitas, Fortitudo, Patientia. Congratulatio; zelus imitandi.
- II. Quam eximiè earum actus internos multiplicarit.
- III. Quam perfectè externos quoque tota vita exercuerit. Affectus ijdem.

VIII.

De 4. Virtutibus eiusdem erga
proximos.

- I. **E**Xpende simili ratione quam eximiæ in ea fuerint virtutes, quibus enituit erga proximos; nimirum, charitas proximi, obedientia, misericordia, modestia.
- II. Quomodo earum actus internos frequentarit.
- III. Quomodo externos exercuerit, affectus ijdem congratulationis.

In festo Exaltationis S. Crucis. 31. Sept.

De illo Euangel. Ioan. 12.

*Ego si exaltatus fuero à terra, omnia
traham ad meipsum.*

I. **E**Xpende quomodo Christus exaltatus à terra per crucifixionem traxerit ad fidem infinitam penè gentilium multitudinem. 1. Peccatorum pretio sanguinis, redimendo. 2. Gratiam vberem veræ conuersionis impetrando. 3. Flammis amoris ex morte crucis potissimum relucens alliciendo. Gratitude, amor.

II. Quomodo tot millia martyrum ad tam generosam sui in opprobrijs & tormentis fortiter subeundis imitationem traxerit, gratiam copiosam impetrando, exemplo præeundo, amore prouocando. Glorificatio Christi & imitatio.

III. Quomodo tot etiam millia religiosorum traxerit, & hucusque trahat eodem modo ad se perfectè sequendam

dam

dum per heroicam mundi, sui que
 ipsius abnegationem, continuam
 mortificationem, & ardentem oppro-
 brii crucis suae affectationem. Grati-
 tudo, amor, zelus imitandi.

21. Sept.

In festo S. Matthaei Apostoli
 & Euangelistae.

*De Euangelio festi, seu de conversione &
 vocatione Matthaei, Matth. 9. vide
 meditat. 3. hebd. 8. post
 Trinitatem.*

De vita eiusdem S. Matthaei.

I. **E**Xpende miram filij Dei Matthae-
 um, quem praesciebat libera vo-
 luntate sua publicanum futurum, &
 lucro pecuniarum magis quam salutem
 suam inhiaturum, in discipulum suum,
 in Apostolum, in Euangelistam, in
 Martyrem ab aeterno eligentis, in
 tempore tam suaviter, & efficaciter
 vocantis dilectionem; miram divinae
 ipsius gratiae in corde eius ab amore
 diuitiarum in momento auellendo,
 sicque prodigiose camelum per fora-

men acus traducendo potentiam: miram denique in eodem in Apostolici muneris functione & Euangelij conscriptione dirigendo, atque ad optatam laborum suorum metam deducendo providentiam. Qualis eiusdem in te quoque ab æterno eligendo, sic in tempore vocando, & hucusque deducendo elucet gratuita benignitas, gratiæ eius potentia, paterna providentia! Gratitude, amor, zelus gratiæ cooperandi.


II. Quam vicissim ille se liberalem erga Christum exhibuerit 1. zelo ferventis conversionis, iniuste acquisita reddendo, Pauperibus omnia erogando, seipsum in perpetuum Christi seruum mancipando.

2. Zelo salutis plurimorum convertendorum, quem exseruit publicanos ad conuiuium à Christo conuertendos inuitando; Æthiopibus, Christi gloriam in prædicando; vitam eiusdem & miracula à se conscripta posteris relinquendo, vt quod ore non potuit, ealamo per totum orbem Euangelicæ veritatis radios diffunderet, & dilecti magistri sui agnitionem, cultum, amorem omnibus hominibus, ad finem vsque mundi nascituris instillaret.

3. Ze-

3. Zelo martyrij, quo incensus non solum nullam barbarorum & idololatrarum rabiem exhorruit, sed etiam auidissimè gloriosam pro Christo mortem exoptavit, quam tandem obtinuit, dum ad aram diuinissimam æterno Patri hostiam offerens secum cœsus, seipsum quoque victimam immolare meruit. Congratulatio, feruor hunc triplicem zelum imitandi.

III. Quomodo Christus eundem clarificari tanta miraculorum gloria, tanta diuinorum solatiorum, & peculiari gratiæ auxiliorum abundantia in terris; tanta præ eminentia essentialit & accidentalit gloriæ tanto Apostolo, Euangelistæ, Martyri debet in cœlis. Spes similis gloriæ simili zelo obtinenda.



In festo S. Michaelis.

29. Sept.

De Euangelio festi Matth. 18. vide 4. part. I.
medit. hebd. 20. Post Trin med. 2.

De Electione, Vocatione, & Glorificatione beatorum Angelorum. II.

I. **E**Xpende ex quam gratuita dilectione Deus omnes & singulos beatos Angelos, præ tam multis alijs culpa sua reprobandis, ab æterno ad certum gradum gloriæ elegerit, & in tempore à primo instanti conditionis suæ ad eundem promerendum tot naturæ dotibus, & gratiæ præsijs instruxerit, tam eximia gratiæ iustificantis, fidei, spei, charitatis, aliarumq; virtutum ac charismatum supernaturalium præ eminentia dotarit, tam suaviter & efficaciter in gratia conseruavit, à lapsu præseruarit, ad rectè vten- dum acceptis talentis exstimularit. Congratulatio, gratiarum actio.

II. Quomodo gratos se illi vicissim diuinæ liberalitati, dum essent viatores, exhibuerint, i. Purè ardentè, fortiter actus fidei, spei, charitatis, religionis, humilitatis, gratitudinis, obedientiæ, resignationis, aliarumq; virtutum

A a a

tutum

tutum pro mensura gratiæ sibi communicatæ elicere conando: videlicet veritates sibi reuelatas, maximè de incarnationis mysterio, & æterno regno, &c. firmiter credendo; gloriam promissam cum necessarijs auxilijs sperando; redamando Deum propter se infinitè amabilem; eundem adorando, & auctorem omnium bonorum agnoscendo; sibi nihilum suum, Deo omnia accepta dona ascribendo; ad nutum eius omnem se paratos offerendo; omne Dei decretum & beneplacitum approbando & amplectendo; Filium Dei incarnandum in Regem suum reuerenter acceptando, ad eundem adorandum, hominesque ad eius cultum, agnitionem, amoremque excitandos se promptos offerendo.

2. Luciferò & assectis eius ab hoc sancto proposito eos auocare molientibus fortiter resistendo, & ne tenuissima quidem imperfectionis labecula se inquinari permittendo.

3. Eo feruentius solidiusque prædictos actus intendendo, quo impudenter & impetuosius se à rebellibus Angelis ad defectionem sollicitari sentiebant, eoque zelosius constantiusque eorundem

rundem impijs conatibus obfistendo.

Congratulatio. Zelus imitandi.

III. Quam superabundanter singulos eorum Deus pro mensura meritorum longè supra condignum remunerarit inenarrabili gloria; reprobis, instar fulguris deiectis in tartara. Spes gloriae, feruor cooperandi diuinæ gratiæ.

De his prolixius videri potest medit. 2. 2. p. medit. de lapsu Luciferi.

De studio triplicis perfectionis Angelorum in via.

III.

I. **EX**pense quam singuli beatorum spirituum olim in via fuerint puri ab omni nœuo peccati, & quam sollicitè puritatem illam illibatam conseruare, augereque studuerint contra socios apostatas eam impugnant. Congratulatio, Zelus imitandi.

II. Quam illuminati fuerint & rerum diuinarum scientia, & virtutum præminencia, & quomodo in his proficere contenderint, scientia infusa recte vtendo, & virtutum infusarum actus frequentando. Congratulatio, zelus imitandi.

III. Quam Deo vniti per amorem & voluntatis suæ cum diuina conformitatem

tatem fuerint, arctiusque se eidem v-
nire semper & in omnibus conati fue-
rint. Affectus ijdem.

IV.

De 3. Angelorum præcipuis erga
homines officijs.

I. **Q**uam sollicitè Angeli homines
sibi commissoſos fatagant purga-
re, ad agnitionem & detestationem
peccatorum admiſſorum excitando,
ad eadem dignis pœnitentiæ fructi-
bus expianda impellendo, à commit-
tendis in futurum absterrendo. Gra-
titudo, zelus maioris puritatis.

II. Quam sedulò clientes suos illu-
minent, atque ad profectum in solidis
virtutibus exstimulent, dignitatem
virtutum illis ob oculos mentis po-
nendo, modum eas perfectè exercen-
di suggerendo, occasiones offerendo,
auxilia gratiæ necessaria impetrando.
Gratitudo, zelus proficiendi in virtu-
ribus.

III. Quam similiter studiosè eosdem
perficere, atque ad intimam cum Deo
unionem perducere laborent, motiva
cur Deus sit super omnia diligendus,
diuinæque eius voluntati in omnibus
acquiescendum, vias ac modos id
con-

consequendi suggerendo, gratiam efficacem à Deo efflagitando. Gratitude, Feruor proficiendi in vnione cum Deo.

De 3. Angelorum exercitijs erga Deum.

IVo.

I. **E**Xpende quam clarè nunc semper videant Deum visione beatifica, quem per fidem obscurè cognouerunt, & firmiter crediderunt in via, ita vt ne momento quidem ab eo contemplando possint cessare: quam æquum esset te quoque iugiter eum! quasi præsentem semper intueri, per suaue exercitium præsentia Dei in via, quem beatè te æternum illis contemplaturum speras in patria! Congratulatio, Feruor frequentandi exercitium præsentia Dei.

II. Quam beatè nunc ament clarè visum in æternitate, quem obscurè per fidem reuelatum amarant in tempore. Æmulare eosdem, per exercitium assiduam amoris Dei.

III. Quam ineffabili gaudio nunc eundem possideant, ad quem olim vnicè anhelabant. Congratulatio, spes & desiderium beatæ fruitionis Dei.

Aaa 3.

De

VI. *De præcipuis virtutibus Angelorum.*

EXpende quam eximie sint virtutes Angelorum.

1. Erga Deum: Religio, gratitudo, Amor, obedientia.

2. Erga seipfos: Puritas, humilitas, fortitudo, constantia.

3. Erga homines: Charitas, mansuetudo, patientia, misericordia. Quam perfecte harum singularum virtutum autus olim viatores exercuerint, & nunc beati exercere non desinant! Admiratio, congratulatio, imitatio.

VII. *De beneficijs Angelorum tutelarium in suos clientes.*

I. **E**Xpende multitudinem & magnitudinem beneficiorum ab Angelo tuo tutelari hucusque tibi, quot ad corpus & animam præstitorum: & quot & quam grauibus vitæ corporalis & simul spiritualis periculis te præseruarit, occasiones incidendi remouendo, præmonendo, absterrèdo; Et quot quantisque periculis miris modis eruerit, iam labentem ne collideris, sustentando, lapsum erigendo, ad

ad pœnitentiam reuocando ; Quam sollicitè tibi omnia subsidia corpori, animæque necessaria à Deo impetrarit; Quam multifariam, quam suauiter, & efficaciter te ad perfectiora semper excitarit; Agnosce, gratias age, ingritudinem tuam detestare.

II. Multitudinem & magnitudinem similium beneficiorum, quæ tibi etiamnum quotidie exhibere non desinat, præcipuè quam sedulò, te ad alacrius constantiusque progrediendum in triplici via perfectionis pijs inspirationibus monendo, arguendo, impellendo exstimulet; Quam promptè pia desideria tua & obsequia Deo præsentet, ampliora auxilia gratiæ tibi efflagitet, te contra variarum tentationum incurfus præmuniat, & tot tantisque diaboli insidijs laqueisque eripiat. Et quid plus à te in vicem reposcit quam vt Deum perfectius ames & glorifices secum in hac vita, idem beatus continuaturus in altera. Gratiitudo, Feruor sequendi ductorem tuum ad feruentius studium perfectionis exstimulantem.

III. Multitudinẽ item & magnitudinẽ similium beneficiorum, quæ tibi

exhibere gestit usque ad extremum vitæ momentum; maximè quam peculiari cura ac sollicitudine tibi assistere paratus sit in dono perseverantiæ, & brauio gloriæ obtinendo; circa extremum cum doloribus mortis & dæmonis insidijs agonem in fide & fiducia te confortando, ad intimam pœnitentiæ maturè excitando, ad intensos contritionis, amoris, resignationis actus frequentandos inuitando. Gratitude, Feruor maturè se ad felicem mortem disponendi.

1. Octob.

In Festo B. Francisci Borgiæ.

De vita eiusdem B. Francisci.

I. **E**Xpende quam mirabiliter Deus B. Franciscum, quem ab æterno ad eximium sanctitatis & beatitudinis gradum prædestinarat, & in tertium Præpositum Generalem Societatis Iesu elegerat, in tempore ex medijs aulicarum curarum, sæcularium dignitatum, & mundi vanitatum fluctibus extraxerit; ex intuitu cadaueris Isabellæ Augustæ ad fluxas caducasque mundi blanditias deserendas extimularit; tandemque

dēque tot difficultatibus perrup-
tis, & humanis respectibus concul-
catis, ad optatum, tranquillūque re-
ligionis recens natæ portum deduxe-
rit; atque ad tantam breui sanctitatem
euexerit, vt omnium in se oculos a-
nimosque conuerteret, multos ad sui
imitationem prouocaret, socijsque
suis omnibus feruore spiritus, omni-
umque virtutum exemplis præluce-
ret. Congratulatio, gratiarum actio,
feruor imitandi, & gratiæ vocationis
cooperandi.

II. Quomodo hanc tam peculiarem
Dei erga se dilectionem recompensa-
re conatus sit, continuo constantique
studio.

1. Eximie puritatis conscientie, con-
seruandæ, atque in dies & horas au-
gendæ, per assiduam ad seipsum vigi-
lantiam, per creberrimam sui discussi-
onem, per iteratam bis quotidie con-
fessionem, per accuratam sensuum cu-
stodiam.

2. Assiduæ tam internæ quam externæ
mortificationis, cuius ope minus or-
dinatos motus animi omnes freno-
rationis compescuit, corpus penè con-
tinuis afflictationibus maceravit, vo-
luntatis & iudicij proprii impetus re-
frenauit.

Aaa 5

3. Pro-

3. Profundæ humilitatis & despicientiæ sui, cuius in omni vita studiosissimus fuit, ita vt multo feruentius semper & vbiq̃ue sui ipsius quæreret depressionem, quam ambitiosissimi quicq̃ue sui exaltationem.
4. Intimæ gratitudinis pro gratia vocationis, quam maximi semper fecit, omnibulq̃ue mundi opibus, delicijs, honoribus longè ante tulit.
5. Peculiaris deuotionis erga B. Virginem, ad cuius honorem propagandum effigiem eiusdem à D. Luca depictam æri incisam, primus per totum orbem spargi curauit.
6. Peculiaris item deuotionis erga V. Sacram. quam ostēdit interdū septies illud, vbi licebat, piè inuisendo, accurata, prolixaq̃ue præmissa præparatione quotidie celebrando, & post missam deuotissimè gratias agendo, familiarissimeq̃ue cum dilecto suo manantibus gaudio lacrymis agendo, alijsq̃ue similem deuotionem inculcando.
7. Ardentis zeli animas è diaboli laqueis expediendi; Christoq̃ue lucrandi, quem quoad vixit, vbiq̃ue & quacunque ratione potuit, intensissimum semper exseruit.
8. Arctissimæ cum Deo coniunctionis per

per assiduum contemplationis, orationis, recollectionis, amoris, resignationis & glorificationis Dei exercitium. Zelus in his eius feruorem & malandi.

III. Quomodo illum Deus, cuius gloriae se totum impenderat, vicissim glorificarit; in hac vita tam extraordinaria auxiliorum gratiae, diuinorum solatorum, & peculiarium charismatum affluentia: In altera tot tamque eximij eius virtutibus & meritis correspondente gloria Congratulatio, spes & feruor similis gloriae virtutum eius imitatione promerendae.

In festo SS. Apostolorum Simonis & Iudae.

De Euangelio. Ioan. 19.

I. Considera quam serio Christus dilectionem mutuum affectu, verbo & opere ipso sincerè exhibendam inculcet: *Hac mando vobis, ut diligatis inuicem.* Caritas fraterna.

II. Quam efficaciter ad consortiū passionis & crucis, ad tolerantiam persecutionum & opprobriorum, exemplo suo discipulos inuitet: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Zelus imitandi Christum in per-

secutionibus & tribulationibus æquanimitèr sustinendis.

II. Quam graue maneat iudicium ex malitia peccantes, obstinatos, ingratos, quibus nulla apud iustum iudicem erit excusatio. Horror obstinationis, ingratitude.

De vita SS. Simonis & Iuda.

I. **E**xpende quam misericorditer & hi duo fratres ab æterno prædestinati, quam efficaciter in tempore à filio Dei vocati sint ad Apostolici muneris sublimitatem; quam suauiter ab eodem in omni perfectione informati, quam abundè necessarijs gratiæ subsidijs instructi, quam miris modis ad gloriam sibi prædestinatam deducti. His expensis, tibi que applicatis eliciendi affectus gratitudinis, amoris, zeli cooperandi gratiæ.

II. Quomodo tam inæstimabili eius erga se dilectioni, & tam sublimi gratiæ vocationis respondere conati sint:
I. Feruenti studio eximia perfectionis, quam in Magistro suo Christo veluti exemplari expressam suspiciebant, & vita quoque sua exemplari exprimere satagebant, vt sic gratiores se exhiberent.

hiberent illi, à quo tam peculiaribus
essent gratijs præuenti.

2. Zelo gloriam Christi longè lateque
propagandi, salutemque plurimorum
promouendi, quem exseruere prouin-
cias, quæ sibi in orbis partitione ob-
uenerant, peragrando, Euangelicæq;
veritatis luce collustrando, Simon
quidem Ægyptum, Iudas verò Tha-
dæus frater eius Mesopotamiam, ac
deinde simul Persidem.

3. Ardenti zelo ardua quæq; faciendi
& patiendi pro amore & gloria dilecti,
quem ostenderunt tum tota vita, tum
verò maximè, quando in Persidem cō-
uenientes simul vno eodemq; die me-
ruerunt de morte gloriosè triumphare,
sanguinemque pro eo profundere,
qui prius eum pro ipsis profundere
fuisse dignatus. Congratulatio, zelus
imitandi.

III. Quàm abundè gloriosos illorum
labores Christus remunerarit, miracu-
lorum gratia, & diuinorum fauorum
affluentia in terris; Et Apostolicæ sub-
limitatis corona, martyrijq; palma in
cælis. Congratulatio, spes & de-
siderium similes coronas
gloriæ prome-
rendi.

1. Nouēb. In Feflo omnium Sanctorum,
& per Octauam.

*Meditationes de Euangelio Matt. 5. vide
9. assignatas 4. par. med. hebdom. 10. 11. & 12.
post Trinit.*

De Electione, vocatione, iustificatione,
& glorificatione Sanctorum.

I. **E**Xpende abyffum immenſæ, infi-
nitæ, æternæ & incomprehenſibi-
lis miſericordiæ & benignitatis Dei in
ſingulis Sanctorum, ex gratuita boni-
tate & charitate, ab æterno ad certum
gloriæ gradum, quem infallibiliter
conſequerentur, eligendis: in tam ſua-
nibus & efficacibus medijs ad finem
illum neceſſarijs ſingulis prouidendis:
in iſdem tam varijs ac miris modis in
tempore ad ſtatum gratiæ vocandis,
in via perfectionis promouendis, ad
donum perfeuetantiæ conſequendum,
& brauium propoſitæ gloriæ feliciter
apprehendendum deducendis. Admi-
ratio, congratulatio, Dei glorificatio,
gratiarum actio.

II. Serium, feruentem, & conſtantem
conatum à ſingulis pro menſura gratiæ
ſibi communicatæ adhiberem in coo-
perat-

perando diuinæ vocationi, talentisq; acceptis strenuè vtendo, per assiduum, indefessumque studium indies proficiendi in maiore animæ puritate, in virtutum soliditate, in vnione cū Deo, suæq; voluntatis cū diuina conformatione. Congratulatio, zelus imitandi.

III. Abyssum diuinæ liberalitatis in singulorum sanctis desiderijs & conatibus abundè supra condignum remunerandis: In præfenti quidem tanta abundantia peculiarium gratiæ auxiliatorum, fauorum, solatorum: In futuro verò tanta inæstimabilium superfluentia essentialis gloriæ premiorū, accidentalium gaudiorū, & variarum laureolarum. Congratulatio, Dei glorificatio, spes & desiderium similis retributionis eximio studio perfectionis promerendæ.

In Festo S. Martini Episcopi & Confessoris. 11. Nov.

De Euangelio Luc. 12. De lumbis praecingendus vide supra in Festo S. Nicolai.

De vita eiusdem S. Martini.

- I. **E**xpende modo consueto, quam misericorditer B. Martinus ab æterno

terno

terno à Deo prædestinatus sit ad tantam gloriam per tam suaui media promerendam : quam efficaciter ad veram fidem, inuitis licet parentibus paganis, fuerit vocatus, & decennis in Catechumenorum numerum adscriptus, ex profana militia, ad sacram cœlestemq; traductus, & natus 18 annos in Christo per baptismum renatus, à S. Hilario in Acolythorum numerum redactus, tandem ad Turonensem cathedram euectus sit, totq; peculiaribus præuentus gratijs, quibus ad supremum sanctitatis culmen prouehetur. Congratulatio, Dei glorificatio, gratiarum actio.

II. Quam se liberalem vicissim erga tam liberalē in se Deum præstare contenderit, assiduo, feruenti & constanti studio, exercitioq; harum potissimum virtutum.

1. Profundæ humilitatis, ex qua famulo suo seruilia obsequia præstitit, honores & dignitates fugit, cineri incubans mori voluit.
2. Intimæ misericordiæ in pauperes, & compassionis erga afflictos.
3. Ardentis zeli quam plurimos ab idololatria & amore mundi ad Christi cultum, amoremq; pertrahendi.

4. Exi:

4. Eximia deuotionis, arctissimaq; cum Deo coniunctionis, ita vt ne moriens quidem inuictum ab oratione spiritum relaxaret.

5. Similis zeli martyrij & opprobrij Christi ex amore eius participandi, ita vt licet eius animam gladius non abstulerit, coronam tamen martyrij non amiserit.

6. Perfectæ resignationis in manus diuini beneplaciti, ex qua nec mori timuit, nec viuere recusauit. Zelus imitandi.

III. Quomodo Deus illum vicissim glorificauit, In terris quidem tantam miraculorum gratiam illi cōcedendo, tam peculiari SS. Angelorum assistentia in fanis idolorum subruendis adiuuando, in morte eorundem concentrando; In cœlis verò, eius animam tot occurrentium Angelorum plausu excipiendo, tot tantisque palmis, aureolisque coronando: sacrum verò eius corpus tot prodigijs clarificando, ipsumque veluti nitidissimum speculum religiosæ obseruantia, exemplar Ecclesiasticæ disciplinæ, Ideam Episcopalis præeminentia, toti mundo suspiciendum, colendum, æmulandumq; proponendo. Congratulatio, gra-

gra-

gratiarum actio, spes & feruens desiderium exemplo eius ad eximium sanctitatis, gratiæ & gloriæ gradum contendendi.

In Festo Præsentationis B. V.

De solemnitate eius oblatione in templo.

I. **C**ONSIDERA, posteaquam beata Virguncula, ætate quidem vix trimula, sed sublimissimorum mysteriorum notitia Cherulinos, & teneriorum erga Deum affectuum præminentia Seraphinos longè excedens, se à parentibus precibus à Deo impetratam, diuinoq; seruitio consecratam cognouisset, quanto gaudio exultarit, quanto intimæ humilitatis & pietatis sensu, tam admirandæ Dei prouidentie & bonitati erga se suosque parentes gratias egerit, quanto desiderio ad diuinum seruitium anhelarit, quoties ingeminarit illud: *Quis dabit mihi pennas sicut columba, & volabo, & requiescā?* Quanto feruore ad templum Domini, mox futura viuum templum Filij Dei, deduci à pijs parentibus flagitavit, nec flagitare donec impetrasset, destiterit: idque feruentius, quo se suauius & efficacius à Spiritu sancto illuc inuitari,

Psal. 54.

his internis susurris sentiebat : *Audi*
Filia, & inclina aurem tuam, & obliuiscere *Psal. 44.*
populum tuum, & domum Patris tui, &

concupiscet Rex decorem tuum : Et quòd
 clarius perspiciebat, quãta esset gratia
 à Deo tam peculiariter ab æterno eli-
 gi, tam mirabiliter in funiculis chari-
 tatis trahi, tam amabiliter in peculia-
 rem Sponsam assumi ! O si & tu, qui
 ad statum vel gradũ perfectionis subli-
 miorem à Deo vocaris, similem tibi
 præstitam gratiam agnosceres, quàm
 te gratum exhiberes, quàm feruenter
 vocantem Deum sequi satageres ! Gra-
 titudo, feruor gratiæ vocationis re-
 spondendi.

II. Quomodo à pijs parentibus li-
 benter sanctis Filiolæ votis annuenti-
 bus Hierosolymam fuerit deducta; so-
 lemnibus Deo cæremonijs offerenda,
 diuinoq; seruitio mancipanda, quan-
 tumuis esset vnicum eorum delictum,
 vnica familiæ spes & fessæ ætatis sola-
 rium. Quàm porrò illa piè, alacriter
 & feruenter quindecim templi gradus
 in vehementi impetu diuini spiritus
 conscenderit, seque humi ante aram
 prostratam hostiam viuam, sanctam,
 Deo placentem, quoad corpus, animã,
 viresque suas omnes diuinæ Maiestati
 ob-

Obtrulerit, æternumq; consecrarit; obstupescens Angelis tantam in tantilla Virguncula virtutum, gratiarum, & prærogatiuarum eminentiam, admirantibus Parentibus, Sacerdotibus, alijsq; præsentibus tantam in tantilla ætatula prudentiam, maturitatem, pietatem. O quàm ardentem intimæ humilitatis gratitudinis, amoris, resignationis, oblationis sui zeli diuinæ gloriæ tunc ineffabili diuini spiritus dulcedine inebriata elicuerit, quos tota vita sibi familiarissimos habuit, atque in mellifluo canticò suo expressos postmodum nobis æmulandos reliquit! Hos suspice, & exemplo illius elice, ac deinceps frequentare propone.

III. Quàm grata fuerit SS. Trinitati, oblatio super omnia sacrificia & oblationes illi ab origine mundi immolata; tantò sanè gratior, quantò hostiæ immolatæ dignitas maior, sanctitas le ipsam offerentis sublimior, affectus immolationis inflammator. Quàm proinde ineffabili infinitæ dilectionis affectu illam æternus Pater suscepit in Filiam electissimam alis paternæ prouidentia suæ singulariter protegendam; Filius in Matrem gratiosissimam supra omnes puras creaturas
sub-

sublimissimè exaltandam; Spiritus sanctus in Sponsam dilectissimam extraordinarijs gratiarum omnium prærogatiuis modo eminentissimo exorandam! Quanta exultatione illi Angelici Spiritus de tanta diuinorū charismatum affluentia congratulati fuerint, diuinamque erga eam liberalitatem suspexerint & magnificarint! His expensis eidem congratulare, Deoque pro beneficijs illi collatis gratias agere, eamque in perfecta oblatione tui imitare.

De vita eius in templo sanctissima.

I. **C**onsidera quomodo peracta solemni oblatione, parentibus lacrymis madentibus, ægreque se à tam chari pignoris aspectu diuelli sentientibus, illa ficcis oculis, blando vultu, ore placido, Sacerdotibus alijsque stupore attonitis, valedixerit, atque exultabunda ad dudum desiderata templi adyta, soli Deo deinceps quietius vacatura properarit, illud identidem ingeminarit: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, P sal. 26. ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vita mea!* Quo pietatis sensu Parthenonem templo vicinam (vbi plures alia

aliae virgines diuinis obsequijs deuotæ templi sumptibus alebantur) subiens, tam paternæ Dei erga se prouidentia gratias egerit, eiusque diuino seruitio se totam ex momento hoc, excluso omni sæculari affectu, solidè perfectèq; impendere statuerit, quotidieq; crebrius hæc eadem inflammata sua desideria nouo semper feruoris incremento renouarit. Amor uocationis, & feruor perfectè eidem cooperandi.

Prout. 4.

II. Quomodo indies magnis passibus progressa sit in via omnigenæ perfectionis, quasi lux splendens, qua procedit & crescit usq; ad perfectam diem, conando Angelicam mentis & corporis puritatem illibaram conseruare, in constanti solidarum virtutum exercitio magis magisque efferuescere, in arctissima cum Deo vnione per sublimiores indies, amoris, deuotionis, zeli gloriæ Dei excessus proficere: omnesque actiones suas ordinarias cum puriore semper intentione, maiore attentione, deuotione, ædificatione, omnique possibili perfectione peragere. Quo item zelo omnes socias ad assiduum in omni sanctitate & iustitia progressum faciendum inflammare studuerit, omnibus

ribus exemplo pietatis erga Deum, reuerentiæ erga Sacerdotes, obseruantia erga Superiores, humilitatis, comitatis, charitatis erga æquales præ-undo: omnes morum grauitate, discretæ affabilitate, totius corporis honestate, silentij & secessus amore non solum in admirationem rapiendo, sed etiam ad imitationem prouocando. Similè tibi Deus ad statum sublimiorem vocato quotidie offert gratiam, impensè in propriæ, proximorumque perfectionis studium incumbendi; vtinam simili quoq; feruore huius Virgunculæ assiduum diuinæ gratiæ strenuè cooperandi zelum æmulareris! Congratulatio, zelus imitandi.

III. Quàm incenso diuinæ Maiestati se in perfectissimum holocaustum immolandi desiderio, ad illibatum Virginitatis florem, æternum conseruandū prima omnium absque vlllo exemplo, ex peculiari instinctu Spiritus sancti se voto astrinxerit, vt sic expeditius omnibus mundi soluta curis soli Deo vacare, & si illi placeret, augustissimæ Matri veri Messia, quem breui nasciturum ex Virgine certo credebat, & videre optabat, velut minima pedissequa inseruire posset. Quoties hæc sua
vota

Gen. 28.

vota ac sanctissima desideria indies renouarit, seque quotidie ad vberiores diuinorum charismatum influxus recipiendos nouo semper feruore disposuerit, conando ad supremum mysticæ illius, quam Iacob Patriarcha vidit, scalæ apicem conscendere, per gradus lectionis, orationis, contemplationis, satagens ascensiones in corde suo disponere, atq; ire de virtute in virtute, donec videretur Deus Deorum in Sion. Zelus Angelicæ puritatis, solidæ deuotionis, & eximie perfectionis.

Psal. 83.

2. Nou.

In Festo S. Catharinæ Martyris.

De Euangelio Matth. 25. De parabola decem Virginum.

I. **C**ONsidera, cum in Ecclesia militante, vt patet ex hac parabola, mali, fatui, & tepidi, bonis, prudentibus & feruidis permixti sint, quam cuique merito curandum sit, ne nuda fide, & externa specie probitatis cõtentus, vacuaq; lampade instructus, aduentũ cœlestis Sponsi ad iudicium prius, quàm ad nuptiale conuiuium singulos euocaturi exspectet, sed oleo

insu-

insuperabundare, seu charitatis igne
intus ardere, & veræ sanctitatis radijs
fortis lucere satagat. Feruor in vera
perfectione solide proficiendi, horrox
tepiditatis, & hypocrisis.

II. Quàm efficax ad hunc feruorem
concupiendum, vrgendumque sit me-
dium, crebrò & seriò cogitare de in-
certa hora mortis & iudicij particula-
ris. *Media nocte clamor factus est, Ecce
sponsus venit.* Renouatio feruoris ex
memoria vitæ breuitatis & incertitu-
dinis.

III. Similiter quantopere ad huius
feruoris renouationem conferat pro-
fundè expendere, clausam semel ve-
niæ, gratiæ, & misericordiæ ianuam,
in æternum nunquam referandâ: clau-
di porrò tremendo illo momento, quo
anima è corpore egressa init viam bea-
tæ aut miseræ æternitatis. Per memo-
riam mortis & æternitatis crebra re-
nouatio feruoris proficiendi, & ad
perseuerantiæ donum contendendi.

De vita eiusdem S. Catharina.

I. **C**onsidera quàm misericorditer
eam Deus ab æterno nõ solum
ad insignem gloriam essentialem, sed
etiam ad triplicè aureolam Virginum,
Bbb Mar-

Martyrum, Doctorum propriam prædestinaris; & in tempore omnia præsidia gratiæ necessaria tam paternè illi prouiderit; curando ut Alexandria talibus parentibus nasceretur, talibus naturæ donis ornaretur, sic à puertia educaretur, & non minus Christiana pietate, quàm omni politiore literatura imbueretur, & tali tempore, quò de Maximini impietate in Christianos ibidè sæuiente gloriosè posset triumphare; superaddendo illi insuper abundantem gratiam, sublimè sapientiam, facundiam singularem, inuictamq; animi generositatem ad mundum, carnem, tyrannum, diabolumq; debellandum, fastuosaq; sapientum huius sæculi supercilia dulci iugo Christi subiuganda. Suspice hanc Dei erga illam, & te quoque, cui tot naturæ & gratiæ præsidia præ multis alijs tam paternè prouidit, liberalitatè, venerare, dilauda, gratias age, illi cooperari statue.

II. Quomodo illa se erga Deum tam liberalem in se vicissim præstitit liberalem: 1. Angelicam mentis & corporis puritatem sollicitè conseruando, atque pro ea propugnanda mundi, carnis, Tyranni blanditias, tormenta, mortem ipsam contemnendo. 2. Pura cum

cum intentione diuini honoris & ob-
 sequij, non minus in humanæ scientiæ
 ac sapientiæ, quàm eximiæ Christia-
 næ pietatis ac perfectionis studium à
 teneris annis constanter incumbendo.
 3. Magno zelo gloriæ Dei, cum 18. an-
 nos nata esset Maximini in Christia-
 nos immanitatem publicè Alexandria
 arguendo & refellendo. 4. Simili ze-
 lo quinquaginta Philosophos seu O-
 ratores ad se peruertendam congrega-
 tos, vti & ipsius Tyranni vxorem &
 Porphyrium belli ducem ad Christum
 conuertendo, atq; ad martyrium ani-
 mando. 5. Amore dilecti Sponsi sui
 infracto animo atrocem diuerberatio-
 nem, vnde decim dierum in ediam, & car-
 ceris squalorem sustinendo, rotam a-
 cutis instructam cultris non exhorre-
 scendo, securi caput intrepidè submit-
 tendo. His expensis illi congratularetur
 & pro virili imitari desideraret.

III. Quam liberaliter Deus pia eius
 obsequia remunerarit; In hac quidem
 vita illi gratiam tot animas cælo lu-
 crandi impertiendo, tantum animi ro-
 bur in tormentis concedendo; à ter-
 ribili illa rota eam miraculosè præser-
 uando; eius virginèam integritatem,
 dum ex eius resecta ceruicè lac pro-
 fan-

sanguine fluere voluit, toti mundo
manifestando; Corpus eius in monte
Sinai Angelico ministerio sepeliri, o-
leumq; ex eiusdem tumulo morbidis
salutare manans per orbem diuidi vo-
lendo: In altera porro tam eximia es-
sentialis beatitudinis corona, & tri-
plici, Virginitatis, Martyrij, & coele-
stis Doctoratus aureola eam decoran-
do, Præsidentemq; studiorum Christianis
loco fabulosæ Palladis constituendo.
Spes gloriæ, & feruor eam promeren-
di studio eximiæ perfectionis.

In Festo Dedicationis Ecclesiæ.

*De Euangelio Festi, seu de Zachæo Luc.
19. vide 4. part. hebdom. 24. medit. 2. Veli-
quod homo sit peccatore templum SS. Tri-
nitatis. 3. par. medit. post Dom. SS. Trini-
tatis, medit. 2.*

Finis Meditationum Quin-
tæ Partis.

SEXTA